

## POEMA DE VANITATE MUNDI CANDIDO LECTORI AUCTOR.

## ATTRITA EST CIVITAS VANITATIS. ESAIAE 24.

- V1\_1 v.1 Fuere Troes, Ilium ;  
 2 Tros, Ilium fuere.  
 3 Fuit, fuit domus incluta,  
 4 nomenque Dardanorum  
 5 impressit altis moenibus  
 6 hostile Mars aratrum.  
 7 Ubi steterunt Pergama,  
 8 nunc fluctuant aristae.
- V1\_2 v.1 Troja stetit. Priami sunt haec monumenta, viator.  
 2 Eheu ! Cum gemitu die : ubi Troja stetit ?  
 3 Jam frustra Xanthus, Simois memoratur, et Ida,  
 4 et rubet armigero raptus ab ungue Puer.  
 5 Urbs aequata solo. Captis cum civibus arsit.  
 6 Argolicus Phrygias Mulciber hausit opes.  
 7 Horrea Triptolemi, vastus sunt Pergama campus,  
 8 inque Helenae thalamo jam cubar ipsa Ceres.
- V1\_3 v.1 Ergo Troja jacet ? Jacet, voravit  
 2 ignis tecta Phrygum ? Voravit ignis.  
 3 Ergo stirps Priami superba vixit ?  
 4 Vixit stirps Priami superba, vixit.  
 5 Nullus Dardanidum puellus aulam,  
 6 in qua ludat, habet ; puella nullam.  
 7 Sal tota modo seminatur Urbe ;  
 8 proscinduntque solum boves Ulyssis.
- V1\_4 v.1 Ilion eversum est. Priamus jacet omnis, et ingens  
 2 Sarpedon : Danaum praevaluere doli.  
 3 Qui fuerant Troes, nunc sunt sine nomine Manes :  
 4 occidit Aeneas, et puer ipse Paris.  
 5 Ignibus a fundo Neptunia moenia fumant.  
 6 Quae fuit urbs, ager est ; caula, quod aula fuit.  
 7 Hectoris effossam qui findunt vomere tumbam ;  
 8 illi etiam segetes Hectoris ense metunt.
- SCAZON I.
- V1\_5 v.1 Ubi Troja nunc est ? Conflagravit excisa.  
 2 Ubi Coroebus, nobilisque Cassandra,  
 3 Panthusque et Hector, et Paris capillatus,  
 4 humerisque gnati sublevatus Anchises ?  
 5 Confusa squallent hostibus dati praeda,  
 6 qui Dardanorum fata decolorarunt.

7 In regis aula, sive spiceo campo,  
8 vah ! turba prandet alliata messorum.

QUID SUPERBIT TERRA ET CINIS? ECCL. 10.

- V2\_1 v.1 Hoc fine pompa clauditur  
2 in pulverem redacta.  
3 Constans in inconstantia  
4 fortuna cuncta miscet ;  
5 figitque rebus terminum,  
6 quo summa vota vergunt !  
7 Pugnare, stare, vincere,  
8 pugnare, stare, vinci.
- V2\_2 v.1 Siste gradum, mundi quo lapsa superbia tendis ?  
2 Dic cum Trojugenis : pulvis et umbra sumus.  
3 Disce tuo damno, quid sit fortuna ; puella  
4 lascivi ingenii, quam juvat esse levem.  
5 Omnia confundit ; summa imis, imaque summis ;  
6 fertque suis leges haec Atalanta procis :  
7 state jubet, pugnare manu, decernere ferro.  
8 Denique victoris demetit ense caput.
- V2\_3 v.1 Hic stas gloria more cochlearum  
2 ultra non equidem sinetur unum  
3 ex hoc pulvere promovere passum.  
4 Sors et Fata vetant. Volat per Orbem  
5 Fortunae levis ala saevientis,  
6 eluditque puerperas honoris.  
7 Offert praelia, dividit triumphos :  
8 divisus spoliis rotam minatur.
- V2\_4 v.1 I nunc pompa ferox, vultumque in pulvere versa,  
2 vilis humus liceat dicere, mordet humum.  
3 Turbida per Mundi partes Fortuna vagatur,  
4 nec sinit. Ulla suo culmina stare loco.  
5 Divitiis fartum complexibus obvia stringens,  
6 siste, ait, a nostra spongia pressa manu.  
7 Nescis, quae Dea sim ? Pacem bellumque fatigo,  
8 nec patior summis crescere colla viris.

SCAZON II.

- V2\_5 v.1 Sic cursus omnis sistitur ; recedentis  
2 dum complicantur laxa vela Fortunae.  
3 Quae circulatrix nunc ubique, nunc nusquam est :  
4 et huc et illuc currit iniquis monstrum.  
5 Quos fascinavit, urget improbis jussis.  
6 Hic Croese stabis : hic Adolphe : Pellaeae  
7 huc usque. Dura nempe servitus, dura.  
8 Vah ! vana capita susque deque gyranur.

VANITATI ENIM CREATURA SUBIECTA EST. AD ROM. 8.

- V3\_1 v.1 Idem trecentis vocibus  
2 Natura tota clamat ;  
3 hoc mugit in trionibus,

4 hoc hinnit in caballis ;  
 5 hoc rugit in leonibus,  
 6 hoc latrat in molossis  
 7 hoc barris in vastissimis  
 8 nigerrimisque barris.

V3\_2 v.1 Id, quod Naturae discors symphonia sentit,  
 2 rectius immo canit ; verius immo gemit.  
 3 Omnia quae vivunt, Lessum meditantur in umbra,  
 4 lessum vacca suum mugit, et hinnit equa.  
 5 Lessum latrat Hylax, et, pontem nuper ad Oeni,  
 6 rugiit in medio torva leaena rogo.  
 7 Acclinis trunco frendet sibi lessum elephantus,  
 8 haec sunt mortalis musica fata chori.

V3\_3 v.1 Quid vivit, nisi quod timet ? Supremam  
 2 non tantum lepor es tremunt ad horam,  
 3 aut damae pavidi ; sed et leones.  
 4 Et sparsus sonipes cruore belli,  
 5 et bos Pannonis, et canes Britannii,  
 6 et barri Libyae. Tuenda vita est ?  
 7 Quae non bellua mugit ad securim ?  
 8 Non est ulla sibi columba nequam.

V3\_4 v.1 Horrent interitum, quaecunque videbis in Orbe,  
 2 piscis, avis, quadrupes ; fortia, blanda, fera.  
 3 Perstat acerba fremens, divis sacer, ante popam bos,  
 4 cornipedes sese calce tuentur equi.  
 5 Massylus super alta leo venabula fertur ;  
 6 eluctatur aprum dente timenda canis.  
 7 Defendit barros (manus admiranda) proboscis.  
 8 Et tamen infestum Rhinocerota timent.

#### SCAZON III.

V3\_5 v.1 Fatis aguntur cuncta. Tota sub mortem  
 2 natura rerum contremiscit, ac sudat.  
 3 Bos ad macellum fortius pedem figit.  
 4 Equus, hoste viso, naribus minas efflat.  
 5 Pavent leones occinentibus gallis.  
 6 Lycisca latrat inferos odoratus.  
 7 Bos Luca muris pertimescit occursum.  
 8 Vah ! vana vita quot paris tibi curas ?

VIDI CUNCTA, QUA FIUNT SUB SOLE, ET ECCE UNIVERSA VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS. ECCLES. 1.

V4\_1 v.1 Sub sole quidquid nascitur  
 2 denascitur vicissim.  
 3 Alterna sors, alterna mors,  
 4 alterna fata trudunt.  
 5 Nam Luna frenat omnia,  
 6 mutabilisque mutat ;  
 7 volubilisque volvitur,  
 8 secumque volvit orbem.

V4\_2 v.1 Vita parit mortem sub sole jacentibus aegris,  
 2 Mors parili vitam conditione parit.  
 3 Sunt rerum fatigue vices ! Alternaque currunt  
 4 jurgia Naturae. Deficit ac reficit.

5 Luna tot incertis certissima vultibus, et quae  
6 non minus est, constans in levitate sua,  
7 frena regit Mundi, formasque putredine mutat.  
8 Haec metamorphoses mille vel una facit.

V4\_3 v.1 Phoebi Cynthia, Cynthiaeque Phoebus,  
2 cum terras humiles tuentur, ambo  
3 ad spectacula nostra vana rident :  
4 alternis, ut, in Orbe, res in orbem,  
5 astris circumagantur inquietis.  
6 Mors et vita jocantur ; aque Luna  
7 fit lunaticus Orbis, et rotatur  
8 in vertigine mobilis Planetae.

V4\_4 v.1 Expertum est, durare nihil, subsidere cuncta ;  
2 idque vident toto Sol Phaethonque die.  
3 Nasci et denasci, tam sunt sibi nexa vicissim.  
4 Lubrica quam testae cochlea juncta suae  
5 scilicet hunc Orbem sidus Lunare gubernat,  
6 et nocet exemplo debilitatque suo  
7 jam rubit aut pallet, mox est cava vallis et horror ;  
8 quas non evertat femina talis opes ?

#### SCAZON IV

V4\_5 v.1 Noctes diesque provehuntur alternis,  
2 et avehuntur, est nova et vetus Luna  
3 surgit caditque, crescit atque decrescit.  
4 Gyrata more vertagi ; domi raro  
5 praesens, apud se rarius, furit toto  
6 mutanda mense ; semper ipsa, nunquam ipsa ;  
7 lascivit hausto pota fratris argento.  
8 Vah ! Lunae imago, verus est typus Mundi.

HOC EST PESSIMUM INTER OMNIA, QUAE SUB SOLE FIUNT, QUIA EADEM CUNCTIS EVENIUNT. ECCLES. 9.

V5\_1 v.1 Nil usque stat durable,  
2 aut undequaque tutum.  
3 Calcat myricas quadrupes.  
4 Cedros trucidat Eurus.  
5 Urbes pavent Vesuvium,  
6 pontes timent Araxen ;  
7 valles inundant lacrimae,  
8 montesque fulmantur.

V5\_2 v.1 Actum est. Securi nihil hoc reperitur in Orbe  
2 nec duraturas fert status iste moras.  
3 Et salices, celsasque manent sua funera cedros :  
4 Aeolus has, illas sima capella metit.  
5 Antiquum est istud : pontem indignatur Araxes,  
6 et sua Parthenopen non minor Aetna coquit.  
7 Fulmine mons Rhodope ; nimbis Rhodopeia vallis,  
8 altior iste flagrat, pressior ista natat.

V5\_3 v.1 Hoc est, quod sapiens monebat olim :  
2 nil securius esse quam timere.  
3 Sic cedrus pavet Aeoli lacertos ;  
4 flos campi, teneram manum puelli ;

5 propugnacula, spinolam frementem ;  
 6 pontes, Strymonis alveum ruentem ;  
 7 vallis sub nivibus sepulta plorat ;  
 8 rupes fulmine tacta clamat, ohe !

V5\_4 v.1 Desine nutantis Mundi fulcire ruinam :  
 2 labitur, et nullo nixus Atlante perit.  
 3 Atque adeo videas non solam Tibure ficum,  
 4 sed Libani et cedros flante Aquilone, mori.  
 5 Eridanus ripas, pontes populatur Araxes :  
 6 hinc est, quod toto flumine ligna natent.  
 7 Quemque ferit sua mors. Hunc nimbi, hunc fulmina tundunt,  
 8 saepe Appennino pesque caputque dolent.

SCAZON V

V5\_5 v.1 Quaecunq̄ue vultum vorto, versa et inversa,  
 2 vertenda et invertenda cerno ; nil tutum,  
 3 rosam salaces virginem metunt hirci :  
 4 Boreas nivalis regias cedros truncat.  
 5 Nil non Araxes audet in suos pontes.  
 6 Tandem est et illa bella capta Rupella.  
 7 Valles, cloacae montium, jacent. Montes.  
 8 Vah ! hi potentes, hi potenter uruntur.

SI CECIDERIT LIGNUM AD AUSTRUM AUT AD AQUILONEM, IN QUOCUNQUE LOCO CECIDERIT, IBI ERIT. ECCLES. 11.

V6\_1 v.1 Silvas senectus deterit,  
 2 et lassa curvat aetas,  
 3 utcunq̄ue multos viderit  
 4 Idaea quercus annos ;  
 5 nec vulneretur caedua  
 6 bipennibus gigantum :  
 7 procumbet aevo saucia.  
 8 Hoc vulnus, est supremum.

V6\_2 v.1 Sunt nemora aeternum falso spirantia numen.  
 2 Qua sacra frondosum porrigit Ida caput.  
 3 Hic habitant quercus, quae vertice sidera pulsan̄t,  
 4 Tartara demersa stirpe profunda petunt.  
 5 Duratura putes immania robora tanto,  
 6 quanto durabit tempore vita Jovis.  
 7 Fallere. Vel senio tandem, vel mole, peribunt,  
 8 et truncis, aetas ipsa, bipennis erit.

V6\_3 v.1 Audi capripedum genus petulcum ;  
 2 prorsus nulla virebit usque silva ;  
 3 frustra putre nemus, necique dandum,  
 4 custodes Satyri rigatis unda.  
 5 Immortale nihil. Securis, esto,  
 6 quercum non resecet, nec ignis urat,  
 7 nec fulmen feriat : quis a senecta  
 8 defendit ? Cadet arbor absque ferro.

V6\_4 v.1 Lucus gentilis, jam septima secula passus,  
 2 et Dodonaea relligione sacer :  
 3 non est immunis, vel ab omni vulnere tutus.  
 4 Silvestres parcae dantur et arboribus.  
 5 Hispida fila trahunt, connectunt flamina glandos.

6 Cum foliis ilex est colus ipsa sibi.  
 7 Hanc senium franget, Lachesis licet horrida parcat :  
 8 lugebunt omnes funus Hamadryades.

## SCAZON VI

V6\_5 v.1 Alpina silva, Mater arborum longa  
 2 et stirpis antiquissimae, sed et summi  
 3 honoris ac fastigii ; parit quercus  
 4 proceritate nobiles gigantaea  
 5 Tu vix moriri posse crederes sensim  
 6 tamen haec, et ista carie, et illa, tabescit.  
 7 (Morbum hunc periti nominant phthysin Fauni)  
 8 vah ! omne robur, omne robur amittit.

## OMNES MORIMUR ET VELUT AQUA DILABIMUR. 2. REG. C. 14.

V7\_1 v.1 Non longa res est vivere :  
 2 finitur inchoando.  
 3 Plures in ipso limine  
 4 exordii perorant.  
 5 Ut actor olim dixerat  
 6 urgente fine, dixi :  
 7 sic funerande, clepsydra  
 8 dic effluente, vixi.

V7\_2 v.1 Cui brevis et fluxae vitae conceditur usus,  
 2 jam mortem orditur, primaque Fata subit.  
 3 O cave, ne carpas spem vanam Nestoris, et qui  
 4 esse cupis cornix, emoriare culex.  
 5 Nam quid ages, si te Mors ad sua jura citarit ?  
 6 Actor eris ? Sane dic, licet : hora fluit.  
 7 At simul in guttum sese exoneravit arena ;  
 8 te simul infossum funus arena teget.

V7\_3 v.1 Currit nescia vita detineri.  
 2 Vix Eleus equus citatiore  
 3 motam tangit Olympicam quadriga.  
 4 Quod vis vivere, vive nunc. Serenum  
 5 cras noli tibi mane polliceri.  
 6 Coram iudice te loqui memento.  
 7 Qui, si flexerit una, nec secundam  
 8 concedet, neque prorogabit horam.

V7\_4 v.1 Posse mori coepit, coepit qui vivere. Fructus,  
 2 Vita brevis, placidae labitur instar aquae.  
 3 Primo vagitu, quem lactens edidit infans,  
 4 saepius offensa est e tribus una Dea.  
 5 Sic mortalis habe : tetricas has esse Sorores ;  
 6 nec dare, quos poscis rhetoris ore, dies.  
 7 Clepsydra destillat donec fluit illa, loqueris,  
 8 fluxerit : actutum desine velle loqui.

## SCAZON VII

V7\_5 v.1 Humana, non est Livii Decas, vita,  
 2 dimensa campo tot patente librorum ;  
 3 sed tantum Epitome, floridi brevis flori,  
 4 parvus libellus ; unica (legunt Parcae)

5 perlectus hora saepe. Pulcher, at parvus.  
 6 Dixi, atque vixi clamet omnis orator.  
 7 Mensura vitae justa, sunt duae voces.  
 8 Vah ! Vana vita, fluxa clepsydrae stilla !

VIDI IN OMNIBUS VANITATEM. ECCLES. 2.

- V8\_1 v.1 Omnis Voluptas palpitat.  
 2 Quamquam dolosa palpat ;  
 3 domi suae, non inscia,  
 4 quam curta sit suppellex.  
 5 Momenta sunt libidinum,  
 6 momenta gratiarum.  
 7 Pennata plaudunt Gaudia :  
 8 quae tangis, avolabunt.
- V8\_2 v.1 Vive voluptati ; si te tamen, inter amores  
 2 sollicitum, poenas nocte timere juvat.  
 3 Crede mihi, tantos nunquam satiabit hiatus !  
 4 Ipsa domi vix quod squallida rodat, habet.  
 5 Dulce malum, crudele bonum, miserabile philtum,  
 6 unum momentum tota libido furit.  
 7 Tam cito laeta Venus fugit, et se in nubila condit,  
 8 quam cito, cum fraudem sentit, alauda fugit.
- V8\_3 v.1 O fallax nimis et brevis Voluptas  
 2 quae semper timet et facit timere.  
 3 Non est filia divitis macelli  
 4 aut pistoris : eget. Stolata bysso,  
 5 pejorem patitur famem Sagunto.  
 6 Amens omnis amans, libido sani  
 7 est insania, terminanda puncto,  
 8 o ! Vere volucris levis Voluptas
- V8\_4 v.1 Angitur et pallet curis perfossa Voluptas,  
 2 Risus et in ficto flebilis ore salit.  
 3 Tu ne divitias jactanti crede salaces.  
 4 Vix dotem unius pauperis assis habet.  
 5 Posthume, et hanc duces ? Ah ! nescis quid sit amare.  
 6 Momentum est quidquid creditur esse Venus  
 7 avolat, ut venit, veluti panthera, sagitta :  
 8 hoc etiam pueri grammaticique sciunt.
- SCAZON VIII
- V8\_5 v.1 Quid est Voluptas, quam timore, maerore,  
 2 dolore plena, recta serico lena ?  
 3 Mentitur ira Craesam, egena nummatam  
 4 mullum petenti, gobii dabit squamam  
 5 quid est libido blanda, quam vaporatum  
 6 Tertuliani sordidumque momentum ;  
 7 anguilla Venus est : lubricamque prensurus,  
 8 vah ! sorte turpem prendit uberis cancrum.

UBI MULTA SUNT SOMNIA, IBI PLURIMA SUNT VANITATES. ECCLES. 5.

- V9\_1 v.1 O ! blandientum somnia

2 non blanda somniorum !  
 3 Quocunque tandem vanitas  
 4 emisit illa Porta :  
 5 eburnea, seu cornea,  
 6 neutrave, tertiave :  
 7 sunt vana, vana somnia,  
 8 sunt vana, vana, vana.

V9\_2 v.1 Stulte, quid ad somni trutinas tua gaudia lancem !  
 2 Illa nimis fallax, noxque dolosa nimis.  
 3 Inter opes citharasque, et quae sibi dulcia Dido  
 4 finxit, et ad fontes lactea labra sedes.  
 5 Et bibis, et turges, tanquam omni ex parte beatus  
 6 et canis, et Cyprias remige scindis aquas.  
 7 Sint haec blanda licet, tamen illa paroemia vera est ;  
 8 ex nihilo nil sit, stulte, nec evigilas ?

V9\_3 v.1 Est, qui compositus sopore blando,  
 2 credit Maenala se subire curru.  
 3 Perlustrat nemus, hinnulosque figit  
 4 et molles capreas fatigat ursos,  
 5 cervos porrigit atque collocato  
 6 dentes vellit apro. Vigil, jacere  
 7 in lecto stupet, Ergo somniavi ?  
 8 Inquit languidus. Ergo somniavi.

V9\_4 v.1 O ! ut permulsit mea membra papavere Somnus !  
 2 Quam mihi dulcis, ais, visus hic esse Deus !  
 3 Nescio quas umbras, sed enim mihi Morpheus umbras  
 4 objecit, lepidis cinctus imaginibus !  
 5 Nescio qua porta venientia numina vidi ;  
 6 sed vidi ; et semper visa videre juvat.  
 7 Somnia sunt, quaecumque vides, sunt somnia, vana  
 8 somnia vana vides, omnia vana vides.

#### SCAZON IX

V9\_5 v.1 Quid est superbi vana Vanitas mundi,  
 2 quam turbulentus somniantium ronchus ?  
 3 Quam vile noctis phantasique phantasma ?  
 4 Grallis per auras ambulant super stellas.  
 5 Ceraque fictis Daedali volant pennis ;  
 6 Rhenum frementem lacte spumeo potant.  
 7 Stupent coronas purpuramque deferri.  
 8 Vah ! vile noctis phantasique phantasma

VANA SUNT OPERA ET RISU DIGNA: IN TEMPORE VISITATIONIS PERIBUNT. IEREM. 15.

V10\_1 v.1 Septena quae miracula  
 2 jactabat ante Mundus :  
 3 septena sunt ludibria,  
 4 et nobiles Chimaerae  
 5 monstret nemus Semiramis  
 6 murosque sulphuratos ;  
 7 Rhodosque Solis aeneum  
 8 extollat alta signum,

V10\_2 v.1 Munde vale revocor. Prius haec miracula cerne,



2           dicit, et immensis pascere divitiis.  
 3   Nempe ubi sunt ? Quis me volucris super aera curru  
 4       raptum famosa sistat in Utopia ?  
 5   Vel quis ad Euphraten praepes Babylonia ventus  
 6       moenia visurum, sulphure cocta, ferat  
 7   qua tamen aspiciam Rhodon, immanemque Colossum,  
 8       prima dies fatui forsitan Aprilis erit.

## MIMESIS

V10\_3   v.1   Ad miracula (quod loci secudent)  
 2       sic proceditur et quidem videtur  
 3       primo, quod fuerint ; deinde, quod sint,  
 4       nam Semiramis excitavit hortos  
 5       pendentes, Rhodos arduum Colossum.  
 6       Dicendum tamen : haec fuisse quondam ;  
 7       nunc, non amplius esse. Nam nec umbra,  
 8       umbrae nec levis umbra restat. Ergo,

V10\_4   v.1   aude aliquid. Mirare tui miracula Mundi.  
 2       Quae, vel ubi ? Quando ? Qualia. Quanta, quota,  
 3       septem, dicis, erant. Ah ! Quae ludibria narras  
 4       Quis non cordatus rideat illud, erant  
 5       sunt, sunt, quae durant. Sed erant Babylone superbae  
 6       portae ; sed tantum pensilis hortus erat.  
 7       Per cujus poplites potuit rostrata Colossi  
 8       navis agi ? Non est nunc quoque tantus, erat !

## SCAZON X

V10\_5   v.1   Ubi sunt stupendae tot stuporibus molet  
 2       spectaculorum, quae videnda miremur  
 3       indocte Munde, stulte, barde, Boeote,  
 4       numerare nescis quinque, qui queas septem  
 5       Babylonis hortos pensiles adhuc nobis  
 6       jactare ! Olympo se Colossus aequasse !  
 7       Sub utramque ripam gurgitemque mercedi  
 8       transisse naves. Vah ! jacet, jacet nanus.

## IMPIUS FACIT OPUS INSTABILE. PROVERB. 10.

V11\_1   v.1   Fastigiata Pyramis  
 2       Memphiticis in oris,  
 3       quae decedentes eminus  
 4       suas recepit umbras :  
 5       tam plana facta casibus.  
 6       Quam campus est cylindro,  
 7       caepaque nunc Aegyptia  
 8       umbras jacet minores.

V11\_2   v.1   Pyramis et Memphis, tam sunt mihi fabula, quam sint  
 2       Pyramus et Thisbe, Naso jocose, tui  
 3       tantus hyperbolicae consurgit in aethera turris,  
 4       altaque vicino mons ferit astra jugo  
 5       non ita me pridem stimulavit dira cupido  
 6       tangendi septem brachia, Nile, tua :  
 7       vidimus Aegyptum. Sed non mihi visa ducentos  
 8       alta pedes Memphi Pyramis ulla fuit,

V11\_3 v.1 fama, qua patet Orbis, universum  
 2 implet Pyramis. Horreum, an sepulcrum ?  
 3 Nam reges Ceretemque, cumque spicis  
 4 fertur funera condidisse vertex  
 5 nubes despicit : et basin deorsum  
 6 jactum missile transilite nescit.  
 7 Mentiris, bone vir : sagitta sanctae  
 8 metas transilit ista veritatis.

## COMMENTARIUS.

V11\_4 v.1 Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis.  
 2 Verius haud quidquam Bilbili falsa canis.  
 3 Barbara : nam quamvis altissima, barbara moles,  
 4 barbara congeries, barbara terra fuit.  
 5 Pyramidum quarum ? Quis nunc videt eminus ullam ?  
 6 Non superest lapidum plena vel una manus,  
 7 vel cophinus. Sileat miracula vitrea, fluxa,  
 8 vana, caduca, nihil. Denique Memphis. Ubi est ?

## SCAZON XI

V11\_5 v.1 Ubi Canopi sunt furentis insanae  
 2 substructiones ? Pyramis, sepulcrale  
 3 onus tyranni, fertur astra sublimi.  
 4 Pulsasse cono, caerulas supra nubes :  
 5 Lunaeque cursu menstruo fatigatae  
 6 sedem quietis praebuisse, credimus !  
 7 Quid, Nile, dicis ? Vana tinniunt sinistra.  
 8 Vah, praeter umbram nil videtur obscuram.

## SED ET MAGNA DIANA TEMPLUM IN NIHILUM REPUTABITUR. ACTORUM 19.

V12\_1 v.1 Templum Dianae fulgidum  
 2 Amazonum pharetris ;  
 3 destruxit unus furcifer.  
 4 Quod struxerant Iones,  
 5 incendit, atque incendio  
 6 flagravit ipse famae ;  
 7 herost scelus ! Resorbeo,  
 8 et nolo nominare

V12\_2 v.1 De celebri fano, nec prima, nec ultima restat  
 2 tegula, qua posset nuda Diana tegi.  
 3 Quae stetit immodico sublimis et ardua sumptu.  
 4 Machina procubuit decinerata solo.  
 5 Qui tantae flammam admovit Lucifer aedi,  
 6 bustum, materiam credidit esse joci.  
 7 Semper ego obscurus tantum ? Nunquamne, sed ex hoc  
 8 dixit, io, nomen clarius igne feram.

V12\_3 v.1 Quid formosius ulla vidit ora  
 2 delubro ? Quod Ionico paratu  
 3 et sumptu stetit ; unius superba  
 4 venatricis et invidenda sedes.  
 5 O ! Diana Ephesina magna, salve  
 6 invidit, quia vidit unus (heres)  
 7 Cum succenderet, aestuante fano,  
 8 clamavit nebulo Diana magna,

9 O ! Diana Ephesina magna, salve !

V12\_4 v.1 Nec Triviae Templo molles laudentur Iones.  
 2 Hoc quoque non vane Bilbili falsa canis.  
 3 Ut steterit majus, quam maximus ambitus Urbis,  
 4 et prope nil fuerint omnia praeter ebur.  
 5 Quis tamen id laudet, quod non comparet, ab igne  
 6 consumptum, carbo, fumus, arena, cinis.  
 7 Rostratus incendit vel Herostratus ; atque favillam  
 8 sedit ovans, velut ad Pergama capta Sinon.

SCAZON XII

V12\_5 v.1 Ubi palustri conditum solo fanum  
 2 vanum Dianae, lustra quod quater dena  
 3 insumpsit, aedilesque defatigavit !  
 4 Non illud hostis barbarus, vel hibernus  
 5 subvertit imber, vel sacrum Jovis sulphur  
 6 sed (erubesco) sed quis ille ? Sed frustum  
 7 lavernionis nempe ? Misit in fumum.  
 8 Vah ! ludibundus triste plaussit ad bustum.

TU AUTEM PROIECTUS ES DE SEPULCHRE TUO. ISAIAS 19.

V13\_1 v.1 Trophaea fixa Gadibus,  
 2 et Herculis Columnas,  
 3 non passus ultra Nereus,  
 4 jacto tridente vertit  
 5 quae celsa mole pendula  
 6 Mausolus incolebat,  
 7 duxere labem marmora :  
 8 sepulta sunt sepulcra.

V13\_2 v.1 Amphitryoniades quae toto ex Orbe tropaea,  
 2 in Gaditano fixerat alta mari :  
 3 dum costas balaena fricat, caudamque retorquet,  
 4 subvertit reflui vortice torta sali.  
 5 Id quod in astra ferunt Cares regale sepulcrum,  
 6 altera congesta mors sepelivit humo.  
 7 Tunc primum inclusae saxi immanibus umbrae,  
 8 facta est Terra levis, quae fuit ante gravis.

V13\_3 v.1 Quin ipsius et Herculis columnae  
 2 fecerunt vitium, ruente fluctu  
 3 Alcidaeque fuit, noverca Juno,  
 4 non primi Ionis illa, sed secundi  
 5 umbrarum, morientiumque fastus,  
 6 Mausolea soluta conciderunt.  
 7 Quid nunc majus habet cadaver illud,  
 8 quam vili figulus luto sepultus.

V13\_4 v.1 Herculis erectas, famae monumenta, Columnas  
 2 disjecit toto littore sparsa Notus.  
 3 Quanquam alii incursu vituli prostrata marini,  
 4 longo alii credant computruisse situ.  
 5 At non jam mediis habitat Mausolus in astris,  
 6 umbra nimis tumuli forte superba sui.  
 7 Omnia fracta jacent. Saxi sunt obruta saxa

8           quaere alium tumulum, qui tegat jure tumulum.

SCAZON XIII

V13\_5   v.1    Maris obeliscos, quos tremendus Alceides  
           2    fixit ; refixit, diruitque Neptunus.  
           3    Disjecta molles frustra nesciunt Gades :  
           4    nimirum in imo marmoris jacent fundo.  
           5    Exaggeratum conditorium, sub quo  
           6    jacebat Artemisiae putris conjux :  
           7    terra movente, mugiente subsedit,  
           8    vah ! funus hoc immane quam gravabatur !

CONTRITA SUNT PARITER FERRUM; TESTA, ARGENTUM, ET AURUM. DAN. 2.

V14\_1   v.1    Colossus ille mysticis.  
           2    Conflatus ex metallis ;  
           3    noctuque visus objici  
           4    Chaldaico Monarchae :  
           5    quot partibus decreverit,  
           6    testatur ima testa.  
           7    De mole grandis hybridae  
           8    vix parva gleba restat.

V14\_2   v.1    Ille vir, ille gigas, variorum causa laborum,  
           2    corpore qui vasto regna quaterna tulit :  
           3    ille tibi visus, pronepos ditissime Nini,  
           4    ebria cum vinxit numine membra sopor.  
           5    Heu ! quantum attritus quantum mutatus ab illo,  
           6    quem vix aequabat fraxinus atra, viro.  
           7    Ad testam ventum est melioris massa metalli  
           8    decidit, inque luto secula pauca jacent.

V14\_3   v.1    Ostentum Babylonii tyranni,  
           2    per Chaldaica prata mugientis ;  
           3    cum regnis prope vanuit quaternis  
           4    toto corpore comminutus Heros  
           5    laete plausit humum sonante lapsu.  
           6    Mortis poplitibus lutum sequetur  
           7    haec enigmata sunt potentiorum ;  
           8    haec ludibria sunt et aulicorum.

V14\_4   v.1    Arduus atque ingens confusa mole Colossus.  
           2    Regnorum Mundi, quae peritura, typus ;  
           3    olim Euphrataeo visus persomnia regi,  
           4    semiviroque bovi semibovique viro ;  
           5    quid moror effari ? Cecidit. Fragmenta supersunt  
           6    a casu scopuli contremuere maris.  
           7    Vix per dimidius titubat de corpore tanto.  
           8    Si videas, dices : Quid fuit iste cinis,

SCAZON XIV

V14\_5   v.1    objectus Hermes magnitudinis primae.  
           2    Quem rex superbos somnians ad Euphrates  
           3    suscepit ; ictus, lapsus, atque prostratus,  
           4    totum ruina, qua patet, tegit mundum.  
           5    Unus lapillus tot metalla consedit.  
           6    Pars tibiaram restat, (illa quantilla !)

7 mixtumque testae seminarium ferri.  
8 Vah ! quis monarcha stabit hoc pavimento.

TU ES CAPUT AUREUM, ET POST TE CONSURGET REGNUM ALIUD MINUS TE... DAN. 2.

V15\_1 v.1 Flavum caput demessuit  
2 acinacis Syrorum.  
3 Pectus tremens argenteum  
4 hausit sarissa Pellae,  
5 abdomen ingens Graeciae,  
6 et aeris umbilicum,  
7 exenteravit funditus  
8 scrutata Roma ferro.

#### ANATOMIA

V15\_2 v.1 Chaldaeos stravere Syri Persaeque, superbum  
2 scilicet ex auro nobiliore caput.  
3 Argolici Persas fudere, humerisque micantes  
4 scilicet argento de meliore Syros.  
5 Graecorum ventrem inspexit Romanus aruspex,  
6 armatique scidit militis exta manu.  
7 In spoliū serro cessit, quod in aere reliquit  
8 Graeculus. Ausoniae debitor ille fuit.

V15\_3 v.1 Auratum caput evocatus uno  
2 Medorum Satrapes revulsit ictu.  
3 Argento grave pectus, hausit ense  
4 Graeci filius improbus Philippi  
5 effultum femur aere, bellicosi  
6 fregit ferrea Romuli securis.  
7 Ad tantum, reor, inde totus aeris  
8 Campani sonitum pavebat Orbis.

#### CONTURBATIO.

V15\_4 v.1 Flavicomum Medus caput a cervice revulsit,  
2 et spoliū capta de Babylone tulit.  
3 Inque vicem Medi Macedum cessere tyranno,  
4 qui Susa excidio Persepolimque dedit.  
5 Aerisoni ventris gravidique minacibus armis,  
6 sunt in Romano vendita frusta Foro.  
7 Aes emptum ferro fuit, impostumque tributum  
8 Italiae Dominae Graecia serva dedit.

#### SCAZON XV

V15\_5 v.1 Dejecit alti Persa verticis fastum  
2 auri colore fulgurantis obrizi.  
3 Vivo Darii : palpitantis argento,  
4 confodit extraxitque cor Alexander.  
5 Quo seminante bella, Graeciae venter  
6 concepit iras, aere Martio praegnans.  
7 Enixa demum fudit obstetricanti  
8 vah ! serva Romae facta ferreae, servos.

VENIENT IN TRIREMIBUS DE ITALIA, SUPERABUNT ASSYRIOS... NUMER. 24.

V16\_1 v.1 Quid ipse ? Quantum roboris

2 servavit aut decoris ?  
 3 Si se videret in Tibri,  
 4 puderet esse visam.  
 5 Os buxeum, frons cerea,  
 6 genas reliquit ostrum.  
 7 Fluxere turrets vertice,  
 8 mutique fratre tincti.

## HYPOTYPOSIS.

V16\_2 v.1 Et tu Pastoris pulcherrima filia, quanto  
 2 servasti florem tempore, Roma, tuum ?  
 3 Non adeo longo. Tenuem deflexit in umbram  
 4 Numinis ille decor, nominis ille vapor.  
 5 Frons solito minor est, et nasus acutior aequo,  
 6 collaque sunt buxus, bella labella cinis.  
 7 Haecine divorum genitrix aequata Cybelli ?  
 8 Sanguine fraterno tam bene tota soror ?

V16\_3 v.1 Nunc quo Roma loco ? Fuit venusta,  
 2 fortis, Martia, gloriosa, felix.  
 3 Tu primam faciem, cave, requiras.  
 4 Censuram refugit : pudet videri,  
 5 aspectis potes expavere rugis,  
 6 et mussare silens : an ista Roma est.  
 7 Fortassis via devium fefellit.  
 8 Hic nullum video Remi sepulcrum.

V16\_4 v.1 Quem tamen in sinem properata potentia crevit ?  
 2 An semper solidis ossibus alta stetit ?  
 3 Summis stare diu, nunquam non fata negarunt.  
 4 Hoc quoque prostrato corpore Roma probat.  
 5 Inspiciat speculum. Proprio perterrita vultu,  
 6 horrebit maculas visa senecta suas.  
 7 Turrigeri crines rastro e non pectine, vulsi,  
 8 fatalem in fossam procubere Remi.

## SCAZON XVI

V16\_5 v.1 Et Roma manceps servitutis Argivae,  
 2 totius Orbis messe dives invecta,  
 3 quot, ede, aristas vidit, aut tulit spicas !  
 4 Et ipsa tandem rapta cessit in praedam.  
 5 Famosa latro Gentium, suos cives  
 6 sensit latrones. Vaeniit subhastata,  
 7 contusa, deformata, turpis, elumbis,  
 8 vah ! absque muro nuda, semipagana.

## ET AD EXTREMUM ETIAM IPSI PERIBUNT. NUM. 4.

V17\_1 v.1 Insignis infans vagiit  
 2 sub Romulo parente ;  
 3 coepit loqui sub Hernico,  
 4 crevitque sub Camille.  
 5 Sub Scipione nubilis  
 6 puella visa Poeno ;  
 7 et nempe multum defuit,  
 8 quin nupta duceretur.

- V17\_2 v.1 Quis neget in paucis sobolem genuisse venustam  
 2 te licet in parva, Romule Magne, casa ?  
 3 Roma decora genas, quondam florente Camillo  
 4 floruit, in patrio crescere visa sinu.  
 5 Jamque viri patiens poterat ducenda videri,  
 6 Cum stipare latus Scipio jussus erat.  
 7 Quam prope tunc fuerat vitiata libidine Mauri !  
 8 Sed Fabii celeres eripere morae,
- V17\_3 v.1 Urbs formosior omnibus coevis ?  
 2 O ! quales habuit puella ocellos.  
 3 O ! quam bella nigros puella crines.  
 4 O ! quam sidereos puella vultus.  
 5 Vidit Scipio ; vidit et Camillus.  
 6 Et tu bestia curiosa, Poene,  
 7 visam lumine non satis pudico,  
 8 istam diceris ambiisse sponsam.
- V17\_4 v.1 Si licet, et fas est ab origine ducere gentem,  
 2 nobilius nomen nulla puella tulit.  
 3 Romulus huic genitor ; nutrix anus Acca, Camillus  
 4 defensor, tutor publicus Ancus erat.  
 5 Cum duo Scipiadae fremerent, jam digna marito  
 6 creverat, a multis sollicitata procis.  
 7 Roma fuge ; An nigro vis candida nubere Mauro ?  
 8 Hannibal ante fores. Candida Roma fuge.

## SCAZON XVII

- V17\_5 v.1 Romae vetustum stemma tot probant cerae,  
 2 ut Pastor illi natus Ilia Matre,  
 3 ramis virentes expediverit cunas.  
 4 Favit puellae blanda mater Aeneae.  
 5 Raptae Sabinae lac dedere lactenti ;  
 6 Volsci subacti serviere crescenti.  
 7 Demum apta duci, flammeoque velari,  
 8 vah ! paene ab Afro fugit hoste compressa.

## ET AD EXTREMUM ETIAM IPSI PERIBUNT. NUMER. 24.

- V18\_1 v.1 Sed Africanas nuptias  
 2 sprexit, ducemque luscum !  
 3 Nulli proco tractabilis,  
 4 qui non Latinus esset.  
 5 Bellona peltis incubans,  
 6 exserta Virgo mammas,  
 7 ingurgitavit omnium  
 8 se gentium rapinis.
- PAEAN.
- V18\_2 v.1 Tura date : incestos evasit Hamilcaris ignes,  
 2 nec satus hoc, tanta Virgine dignus erat.  
 3 Barbarus accipiat Romanam, Afrumne Latina ?  
 4 Integra corruptum ? Caecum eculata Jubam ?  
 5 Infremuit, stantesque comas erexit in altum,  
 6 qualiter in Getica Penthesilea nive.  
 7 Insonuere tubae, motoque ad classica Jano,  
 8 sanguineos amnes ebria Roma bibit.

- V18\_3 v.1 At non filia Romuli petulco  
2 Mauro succubuit ; soluta ceston.  
3 Multos illa quidem dedit coacta,  
4 dotalem tamen annulum negavit.  
5 Nam quo tempore saeviebat armis ;  
6 ambustae veluti Camilla mammae.  
7 Implacabilis arsit, atque signis  
8 inscripsit duo verba : praeda mundus.
- V18\_4 v.1 Roma offensa metu, Libyci rivalis amores  
2 odit : ego nubam rapta, habeamque virum,  
3 qui terret, qui cogit ? Amor non audit habenas,  
4 non tolerat dominum. Vertere Maure retro.  
5 Sic ait, infestisque (ita Juppiter annuit) armis  
6 lenonem insequitur. Vertere Maure retro.  
7 Inde leaena ferox, et major Amazone visa,  
8 implevit spoliis Martis utramque manum.
- SCAZON XVIII
- V18\_5 v.1 Olli libidinosus Hannibal visus  
2 est exsecrandus ; improbosque complexus  
3 proci refugit versipellis ad portam.  
4 Quin imo proritata fraude lasciva,  
5 nigros capillos ungue casta turbavit ;  
6 iraeque spirans nobilisque vindictae,  
7 quales in armis virgines lavat Strymon,  
8 pervasit Orbem bellicosa praedatrix.
- ET AD EXTREMUM ETIAM IPSI PERIBUNT. NUMER. 24.
- V19\_1 v.1 Tunc Brutus a cubiculis,  
2 a clavibus Catones,  
3 prolem regebant Iliae,  
4 fascesque colligebant,  
5 Marcus rogatus libere  
6 respondit in Senatu :  
7 cum liber in sententiam  
8 pedes togatus iret.
- V19\_2 v.1 Salve Brute, Pater Patriae fortissime ! salve  
2 Fortunae domitor invidiaeque Cato.  
3 Primo laurigerae debetur origo securis  
4 quosque gerit fasces lictor et arma manu.  
5 Tempore quo totam complevit Tullius Urbem,  
6 et clamosa res intremuere fora ;  
7 quam bene tunc patriam toga consulis una tegebat ;  
8 una, sed innumeris anteferenda sagis.
- V19\_3 v.1 Fama est, impenetrabilem Catonem,  
2 et Bruti celeres in arma motus ;  
3 fessis auxilio fuisse rebus.  
4 Hic fasces reperit, ligavit ; ille  
5 i lictor, pedicasque necte, dixit ;  
6 i, obnube caput ; feri securi.  
7 Tunc Patres Patriae secuta plebes,  
8 sensit cum Cicerone, cum Senatu.



V19\_4 v.1 Tunc Cato, tunc Brutus, rerum legumque periti,  
 2 finibus imperium continuere suis.  
 3 Regibus expulsis, virgas fascesque salignos  
 4 ante novi lictor consulis ora tulit.  
 5 Libertas facilem rexit facunda Senatum.  
 6 Jam Cicero dixit, jam retulere Patres.  
 7 Ut sua cuique stetit sententia, sic referebant.  
 8 Sic plebes scivit, sic equitavit eques.

SCAZON XIX. POLITEIA.

V19\_5 v.1 Olli Catonis innocentis, et Bruti  
 2 virtus severa profuit. Regebatur  
 3 urbs universa consularibus curis.  
 4 Pulso superbo, fama stabat in tuto  
 5 cives in omnes quod senator edixit.  
 6 Astraea mentis in bilance librabat.  
 7 Vultis jubetis, tunc placebat anquiri.  
 8 Volumus jubemus, plebs rogata respondit.

ET AD EXTREMUM ETIAM IPSI PERIBUNT. NUMER. 24.

V20\_1 v.1 A morte patris Romuli,  
 2 et nutrientis Accae ;  
 3 pupilla Roma serviit  
 4 suis coacta servis.  
 5 Quivis in Urbe vitricus  
 6 certabat esse Romae ;  
 7 fas et nefas defendere  
 8 stricto paratus ense.

V20\_2 v.1 Sed jam paulatim video declivia. Natae  
 2 mors tua quam nocuit, Romule Dive, tuae !  
 3 Vix sacra claudebas supremo lumina somno,  
 4 cum fuit a servis Roman subacta suis.  
 5 Fluxit in ancillae mores ; et rupe lupanar,  
 6 et Catilinarum stupra probrumque tulit.  
 7 Quid faceret ? Sonuere tubae. Jus stabat in armis.  
 8 Robore quisque potens, crimine tutus erat.

V20\_3 v.1 Postquam funeris a toto paterni,  
 2 sexcentesima se metebat aestas,  
 3 Urbi pabula conditae datura ;  
 4 eheu ! Roma labare coepit, eheu !  
 5 Et servus Dominam superbus ostro  
 6 orbam temnere, quae regebat Orbem.  
 7 Virtus sub pedibus jacebat ima ;  
 8 crimen nobile sedit in curuli.

V20\_4 v.1 Hactenus optato Zephyro. Post fata Parentis  
 2 coepit ab adverso turbine Roma quati.  
 3 Fraudibus effulti qui surrexere tyranni,  
 4 deceptam blandis implicuere dolis.  
 5 Serva fuit, cum se dominari crederet. Hostes  
 6 sustinuit proprios stulta vocare Patres.  
 7 Qui fas omne manu gladium stringente ferebant ;  
 8 quorum vaginae scrinia luris erant.

## SCAZON XX. PROTERVIA.

V20\_5 v.1 Fregit libido saeva patrias leges ;  
 2 simulque fractas Roma perdidit vires ;  
 3 velut, parente mortuo, minor natu  
 4 circum- dolosi fraude -venta tutoris.  
 5 Exin tumultus, livor, ira, contemptus,  
 6 foedi Cometae, foeda bella sunt orta.  
 7 Jus quod dabatur, hoc ab ense pendebat.  
 8 Vah ! Curionis sica mors fuit legum.

## ET AD EXTREMUM ETIAM IPSI PERIBUNT. NUMER. 24.

V21\_1 v.1 Sic itur in Pharsaliam  
 2 bubonibus sinistris,  
 3 emuntur irae civium  
 4 non simplici talento.  
 5 Iisdemque signis classica  
 6 pulsantur et resultant,  
 7 pilis minantur aemula  
 8 pari furore pila.

## SACRILEGIUM.

V21\_2 v.1 Usque ad fatales rabies effusa Philippos  
 2 traxit : in Emathiis hoc scelus haesit agris.  
 3 Pila dicata Jovi, laesis rapiuntur ab Aris ;  
 4 Martia conflatus transit in arma ligo.  
 5 Cerno pares aquilas, et utraque ex parte sagatos,  
 6 si credam lituis, hinc procul hostis abest.  
 7 Civis it in civem, fratrem cognatus, in ipsum  
 8 quem genuit, genitor procidit. O Pietas !

V21\_3 v.1 Mox totis tonuere bella castris.  
 2 Discordesque togas, ab ense scissas,  
 3 Civilis cruor imbuit rubore.  
 4 (Signabat color iste candidatos.)  
 5 Hem ! clangunt aquilae pares, ad arma ;  
 6 adversusque secat volatus auras !  
 7 Pila in pila cadunt. Utrimque clamat  
 8 hostis : Juppiter, o tuere Romam.

V21\_4 v.1 Vos rubrae Rubiconis aquae, teque alea jacta  
 2 alloquor, et tanti conscia terra mali ;  
 3 quanti constiterint plus quam civilia bella.  
 4 Dicite : quo pretio vendidit hasta neces ?  
 5 Terrarum caelique pudor ! Quae praelia ! Natum  
 6 collocat ense pater, filius ense patrem,  
 7 fraternas acies monstrat Pharsalia Thebis.  
 8 Oedipus in Latio cum Polynice fuit.

## SCAZON XXI

V21\_5 v.1 Crescit Megaera : crevit et furor belli.  
 2 Nam qua Philippi Thessali, malo Fato  
 3 signante, vastos porriguntur in campos ;  
 4 ejecta se se Roma, vidit extremum  
 5 Nefas suorum. Pila civium vidit  
 6 tingenda caede mutua coruscare ;

7 ferrique natos impotenter in patres,  
8 o Roma, Roma ! Jam perire coepisti.

ET AD EXTREMUM ETIAM IPSI PERIBUNT. NUM. 24.

- V22\_1 v.1 Gener socerque provocant,  
2 hinc Magnus, inde Caesar,  
3 concurritur pro crimine ;  
4 qui peior est, triumphat.  
5 Dum punctum honoris unicum  
6 secantque dividuntque ;  
7 stagnant cruenti Thessala  
8 late per arva rivi.
- V22\_2 v.1 Siccine concurrunt ; hinc Magnus, Julius inde ?  
2 Hinc gener, inde socer ; hinc tigris, inde leo ?  
3 Quo pueri, quorsum ? Scelus est, quod morte paratis.  
4 Triste imis vinci, vincere turpe nimis.  
5 Ambitio vexilla movet. Discordia caedes  
6 stipat, et in tabo nat truculentus honor.  
7 Umbra honor est, vereque nimis projecta : sed, o quot  
8 haec umbras Orco fertilis umbra dedit.
- V22\_3 v.1 Hinc Caesar capit arma, Magnus inde ;  
2 hinc calvus furit, et comatus inde.  
3 Quod pellit socer, hoc gener repellit.  
4 O ! victoria flebilis vel ipsi  
5 victori, nimiumque flenda victo.  
6 Fit caedes ab honore (tunc creato  
7 Urbis consule). Sanguis implet arva ;  
8 hoc est, Roma tibi secare venam.
- V22\_4 v.1 Jamque adsunt, Caesar, Pompeianique triumphi,  
2 iudice visuri justius ense nefas  
3 nec mora ; per medium torquetur lancea caelum.  
4 Hasta igitur fixa est : iudicium dabitur.  
5 Quale ? Quod horrescant Thraces, secat agmina ferrum,  
6 utque armenta solo funera trunca jacent.  
7 Campi consulibus pleni, fossaeque senatu,  
8 absolvunt libram, Brenne superbe, tuam.
- SCAZON XII. CLASSICUM.
- V22\_5 v.1 Nescit priorem ferre Caesar : aequalem  
2 Magnus recusat despicitque Pompeius,  
3 ad arma, ad arma, ad arma, ad arma clamatur.  
4 Pugnatur. Alta, ceu pilae, volant pila,  
5 caliginoso Mars furore lascivit.  
6 Semel nocentem, bis nocens triumphavit.  
7 Late refusus sanguinis ruit torrens.  
8 O Roma, Roma ! quo colore mutaris !

ET AD EXTREMUM ETIAM IPSI PERIBUNT. NUMER. 24.

- V23\_1 v.1 At Roma languet interim  
2 venalis, aegra, fessa.  
3 Turbata mente linquitur ;

4 labant soluta genua.  
 5 Luctam supremam nuntiant  
 6 vicina signa mortis,  
 7 singultiunt arteriae,  
 8 formidat icta vena.

V23\_2 v.1 Rumor hic afflictas Romae simul impulit aures,  
 2 (omnia misceri ; sacra, profana rapi ;)  
 3 in lacrimas ivit simul et suspiria, totis  
 4 turribus, et moesto funditus ore tremens.  
 5 Spargit in incertum absistens vestigia gyrum :  
 6 ante nigram Lachesis ventilat ora colum.  
 7 Flebile lingua gemit, dens formidabile stridet.  
 8 Lugubre vena micat, si tamen ulla micat.

V23\_3 v.1 Fatales ubi tristium tubarum  
 2 accepit sonitus, et ejulatum ;  
 3 afflatae nivis instar et pruinae,  
 4 subsedit medio soluta campo,  
 5 tunc vultum malus occupare livor ?  
 6 Tunc ruptis tunicis perire ocelli ;  
 7 tunc artus gelido quati tremore ;  
 8 tunc pulsu fatuo salire vena.

V23\_4 v.1 Forte jacebat humi Tarpeio affusa Tonanti,  
 2 praesaga exitii squallida Roma sui.  
 3 Cum trepidam invasit belli Pharsalicus horror.  
 4 Qualem, quem subiti perculit ira Jovis.  
 5 Cur tremo, dixit, et his mediis in vocibus haesit,  
 6 auditae stragis conglaciata metu.  
 7 Sanguis hebet : paleae ante oculos atomique vagantur,  
 8 oestro funereo parcita vena tremit.

SCAZON XXIII.

V23\_5 v.1 Vocate cives Aesculapium, cives,  
 2 cives adesto. Roma vestra ferali  
 3 Pavore consternata cladis acceptae,  
 4 palletque, solviturque frigidus artus.  
 5 Adeste cives. Vultus ecce collapsus ;  
 6 cor systole diastoleque confundunt ;  
 7 venaeque nullo stant tenore ramosae,  
 8 ah aegra Roma ! Quid canit tibi bubo ?

ET AD EXTREMUM ETIAM IPSI PERIBUNT. NUMER. 24.

V24\_1 v.1 Ad ultimum ter sternuit  
 2 sudo te profluente ;  
 3 et voce mixta fletibus.  
 4 Augustae noster, inquit,  
 5 vale. Vale dulcissime.  
 6 Tibi resigno mundum.  
 7 Mox bellicosos exspuit  
 8 Manes fremens sub Orcum.

AGON.

V24\_2 v.1 Ter collapsa toro est, terque a Cicerone levata,  
 2 ter gelidum sudans sternuit, et tacuit.

3 Mox iterum erigitur, mediaque in morte profatur :  
 4 Augustum nobis sistite, dixit. Adest.  
 5 illa. Deo juvenis nimium dilecte, migramus ;  
 6 esto heres Romae, maxime Caesar, ait.  
 7 Sic effata truces oculos ad Tartara torsit.  
 8 Frigidaque exanimi corpore procubuit.

V24\_3 v.1 Fatis cedite. Cessit ipsa Roma.  
 2 Sancte : sternuit. Et ter : ominose.  
 3 Augustum prius allocuta coram  
 4 septem testibus, et notante Marco,  
 5 se toto dedit asse dividendam ;  
 6 adjecto quoque jure codicilli,  
 7 quo praesaga Triumviris cavebat ;  
 8 torvum immugiit, occiditque noctu.

V24\_4 v.1 Frontem involverunt feralia nubila, mortis  
 2 indicium pulsae personuere fores.  
 3 Vivit adhuc tamen aegra, jubetque ad limina duci  
 4 Augustum, et cubito nixa, levata toto,  
 5 macte, ait, o Italis magnum decus addite terris,  
 6 imperii post me frena regenda cape.  
 7 Dixit, et in caelum descendit ad infera regna,  
 8 semper Julaeis Manibus umbra gravis.

SCAZON XXIV.TESTAMENTUM.

V24\_5 v.1 sternutat. Eheu ! Tullius, salus, dixit.  
 2 Sed frustra, apertis jam poris venenatae  
 3 maculaeque livent, itque letifer sudor.  
 4 Suprema vox haec ; Dive noster, Auguste,  
 5 ex asse factus, institutus, et scriptus  
 6 heres, Jovem precare, solve legata.  
 7 Sub ista vixit, spiritumque demisit.  
 8 Vah ! tota buxus, tota Roma nunc mors est.

DABO TE IN MANUS HOMINUM INSIPIENTIUM ET FABRICANTIUM INTERITUM, IGNIERIS CIBUS. EZECH. 21.

V25\_1 v.1 Deforme jam cadaver est  
 2 formosa Roma quondam.  
 3 Quod extulit Tiberius  
 4 vespillo purpuratus.  
 5 Sub parricida Claudio  
 6 plenum parante bustum,  
 7 pars Urbis arsit tertia,  
 8 novae favilla Trojae.

V25\_2 v.1 Conclamata jacet. Viden, ut resupina recumbat,  
 2 inque humeros cervix pendula fiat onus.  
 3 Funus adornatur, tectumque Tiberius effert  
 4 in Capreas. Hic est mortua roma siti.  
 5 Quamquam iterum in sese jussu translata Neronis,  
 6 accipit extremi munera maesta rogi.  
 7 Personat accensa nebulo trabeatus in urbe :  
 8 haec facies Trojae, cum caperetur, erat.

V25\_3 v.1 Exi Roma tuis humanda portis,  
 2 exi, funus es et cadaver : exi.

3 Sic tota populus fremit Subura ;  
 4 et sub fornice defodit luparum  
 5 pastam lacte lupae, Neroniana  
 6 mox incendia prosequuntur umbram.  
 7 Ardent omnia. Ventilare capta  
 8 jurasses Danaos in Urbe taedas.

## DIALOGISMUS.

V25\_4 v.1 Edite ferales planctus, accurrite cives :  
 2 foetet, et in feretro mortua Roma jacet.  
 3 Caldus infodit tumulo Mero. Siste viator.  
 4 Sisto. Quid hic ? Urbs est. Quantula ? Mundus erat.  
 5 Quisnam oculos clausit : duo caeci quis dedit ignem  
 6 funereum Populo collacrimante ? Nero.  
 7 Cupressum accendit ? Taxum. Rogus unicus arsit ?  
 8 Unicus, et Priami qualis in urbe fuit.

## SCAZON XXV. ROGUS.

V25\_5 v.1 Ades Diaule nominate Pollinctor :  
 2 effer cadaver Urbis, effer, incende.  
 3 Sed nempe te Tiberius senex vulpes  
 4 praevenit, extulitque funus immensum.  
 5 At sumptuosi defuit rogi flamma  
 6 et luculenti ? Scilicet. Nero matri  
 7 immane bustuarius dedit bustum.  
 8 Vah Roma ! Nunc es illa Troja, quam jactas.

## HACCINE URBS PERFECTI DECORIS, GAUDIUM UNIVERSAE TERRAE. THREN. 2.

V26\_1 v.1 Quae ? Qualis ? O ! quam viluit  
 2 mutata nunc ab illa,  
 3 quae viribus Numantiam  
 4 Volscosque subjugavit ;  
 5 Carthaginis proboscides  
 6 stridentis amputavit ;  
 7 Rhenique et Istri cornua  
 8 dejecit inter algam !

V26\_2 v.1 Ah ! Quam non illa est, quam non est illa Gradivi  
 2 neptis, pinniferis inclyta Virgo comis !  
 3 Haecine Caudinas sub Furcas agmina misit  
 4 Volsca ! Numantinos torruit esta Lares ?  
 5 Haecine subvertit Tyriae Carthaginis arces ?  
 6 Ista Jubae vincto ferrea jura dedit ?  
 7 Haecine Danubii sulcavit remige dorsum !  
 8 Percussit Rheni caestibus ista caput !

V26\_3 v.1 Hoc ritu tumulata. Nunc ab illa  
 2 possis quaerere : Roma quid fuisti ?  
 3 Tu vastare Numantiam, fugamque  
 4 Parthi sistere ? Roma quid fuisti ?  
 5 Tu Carthaginis insulas et arces  
 6 fundo vertere ! Roma quid fuisti ?  
 7 Tu Germanica terga liberorum  
 8 virgis caedere ? Roma quid fuisti ?

## METAMORPHOSIS.

V26\_4 v.1 Fascinor, et frontem magici vinxere corymbi ?  
 2 An subito funus, quae fuit ante Venus ?  
 3 An video Romam, quae sub juga bobus adempta  
 4 egit Samnites, edomuitque Tagum :  
 5 Getulo metuenda duci, Carthaginis horror,  
 6 praedatrix Siculi, classe timenda maris !  
 7 Quae quercus, Alemanne, tuas formidine movit,  
 8 ex illis Latium sculperere docta Jovem !

## SCAZON XXVI

V26\_5 v.1 An ista Roma ! Funus istud est Roma,  
 2 Hic Roma truncus ? Hoc cadaver est Roma  
 3 Quis me per ! O vicissitudo regnorum !  
 4 Ergo ista Volscos vicit, et Numantinos  
 5 canes abegit Scipione latrantes ?  
 6 Haec tauriformis abstulit caput Byrsae !  
 7 Quis me ! Fugavit ista Latua Germanos !  
 8 Vah ! quis per altum me ferat ? Vale Roma.

## MANUM SUAM MISIT HOSTIS AD OMNIA DESIDERABILIA EIUS. IN THREN. 1.

V27\_1 v.1 Cunctis tremendae gentibus  
 2 emarcuere vires.  
 3 Luxus nepotum pignora  
 4 materna dissipavit ;  
 5 mundique patrimonium  
 6 evolvit unus heres.  
 7 Quod hic reliquit, barbarus  
 8 absumpsit Allaricus.

V27\_2 v.1 Adverto, nec vana fides. Apoplecticus illam  
 2 corripuit fastu deficiente stupor.  
 3 Dives opum, dives pictai vestis, et auri  
 4 aulique (sed hoc, quisquis es, adde) fuit.  
 5 Exhaustit Tiberim Gangemque Tricongius auri,  
 6 sanguinis humani turpis hirudo Nero.  
 7 Aut si quae misero de funere membra reliquit,  
 8 Harpyis Geticis vix pepulere famem.

V27\_3 v.1 Nimirum superante morte vires,  
 2 in foedam speciosa fluxit umbram,  
 3 Summam pauperiem. Cruentus heres,  
 4 immanis patrimonii Charybdis,  
 5 praeter pila vetusta, sarculumque  
 6 Serrani, Curiique nil reliquit.  
 7 Ah ! et funebre linteum, sepulcro  
 8 effosso, procul abstulere Gotthi.

V27\_4 v.1 Porsena quas stupuit vires, jam nulla Sabina,  
 2 nedum Nephrophone, vel Cleopatra timet.  
 3 Jactet divitias, quas absumpsere nepotes ;  
 4 quique aviae faciem convomuere suae.  
 5 Deposuit mundi, census, aeraria, fiscum  
 6 vertit Civilis. Depopulata fames.  
 7 Relliquias, Alarice, tibi servavit egestas ;  
 8 plaustaque praedarum sub Stilicone dedit.

## SCAZON XVII

V27\_5 v.1 O vastitate febrisque corruptam,  
 2 o destitutam viribus suis Romam !  
 3 Cui nec Sibylla tristis ulla praedixit  
 4 annis malorum copiam secuturis.  
 5 Summo labore parta, degener gnatus  
 6 inter luparum foeda transtra consumpsit.  
 7 Analecta carpsit Allaricus Hunnorum.  
 8 Vah ! Caesar Urbis visus Hunnus est Romae.

## UBI EST DOMUS PRINCIPIS ? ET UBI TABERNACULA IMPIORUM? JOB 21.

V28\_1 v.1 Eheu ! Quirites posteri  
 2 stipem petunt honoris.  
 3 Tuae Vetustas gloriae,  
 4 Trajane rupit Arcum.  
 5 Sublime Septizonium  
 6 mitissimi Severi,  
 7 Luculliana Pegmata,  
 8 moles Titi steterunt.

V28\_2 v.1 Quis desolatae faciem miserabitur Urbis,  
 2 in qua de veteri restat honore nihil.  
 3 Tempus edax fregit Trajani Caesaris Arcum,  
 4 non aliter quam quem tendere, Parthe, soles,  
 5 tortilibus spiris moles laqueata Severi,  
 6 fluxit in exiguum, fulmine tacta, globum.  
 7 Luculli vocale nemus subsedit, et Aula,  
 8 quam tuus exstruxit, Vespasiane, Titus,

V28\_3 v.1 Ad lessum propero. Nigrae puellae,  
 2 vestrae plangite matris ad sepulcrum,  
 3 Trajani cecidit solutus arcus.  
 4 (Eheu ! Plangite) nec Severiani  
 5 mansit integra turris Heptacycli.  
 6 Dudum mole sua Titus, suaque  
 7 Lucullus premitur. Nigrae puellae,  
 8 vestrae plangite matris ad sepulcrum.

V28\_4 v.1 O ! domus Assaraci, et rerum translata potestas ;  
 2 o ! facies Urbis moesta, Quirine, tuae.  
 3 Decidit ipse suo Caesar Trajanus ab arcu ;  
 4 per quem nunc alium lauriger ibit eques ?  
 5 Jam septem zonas, castam quibus ante Severus  
 6 vinxit, Romani praedo pudoris habet.  
 7 At non marmoreo recubat Lucullus in horto,  
 8 deplorantque Titum moesta theatra suum.

## SCAZON XVIII

V28\_5 v.1 Sed et super te (vah !) caput movent gentes,  
 2 femorique suram (sic stupent) super ponunt,  
 3 mutique dicunt : arcus ecce Trajani,  
 4 zonisque septem surrigens forum cochlis ?  
 5 Regalis ecce picta sponda Luculli,  
 6 celsumque pegma molis Hadrianaeae ?  
 7 Amarulentum sibilant viatores :



8 vah ! Prisca Roma, nulla nulla jam Roma es.

ET PERCUTIAM DOMUM HYEMALEM CUM DOMO AESTIVA, ET PERIBUNT DOMUS EBURNEAE. AMOS 3.

- V29\_1 v.1 Stillare cessant balsama  
2 mensae Neronianae ;  
3 foeda scatent uligine  
4 thermae Neronianae.  
5 Antonianis balneis  
6 nunc anseres lavantur.  
7 Tibur Vopisci floridum  
8 tondetur a capellis.
- V29\_2 v.1 Fabula sunt citreae sudantes balsama mensae,  
2 nec Syrias halat mappa relictas rosas.  
3 Fabula, trudentes argentea flumina thermae ;  
4 nulla per auratum flexerat unda rubum.  
5 Fabula, Nymphaeum Veneris regale lavandae ;  
6 Maeotis nequeat foedior esse palus.  
7 Fabula Pierii Tibur glaciale Vopisci :  
8 semper, ut apparet, rustica villa fuit.
- V29\_3 v.1 Jam nil de Cilicum liquore nudum  
2 prandentis fluit in caput Neronis.  
3 Ergo plangite. Nec juvantis unctum  
4 fragrat malobathro nitente corpus.  
5 Cur non plangitis ? Ille delicatus  
6 Thermarum tepor alget. Illa villa  
7 Tiburtina ruit. Nigrae puellae,  
8 vestrae plangite matris ad sepulcrum.
- V29\_4 v.1 Quae domus in tota late fragraverat Urbe,  
2 in qua cenabat plena Nerone fames,  
3 effultosque meris fontes et stagna smaragdis,  
4 quae biberat loto plena Nerone sitis ;  
5 quasque infudit aquas riguis Antonius hortis.  
6 Omnia jam sicco transeat ore Canis.  
7 Nec Tibur platanos, nec habet sua frigora pastos,  
8 dicere nec possit, Tityre tu patulae.
- SCAZON XXIX
- V29\_5 v.1 Ubi siderati nunc Neronis ex auro  
2 tornata mensa, digna Sole conviva.  
3 Et delibutis rore Medico stellis ?  
4 Exaruerunt limpidissimae thermae  
5 Antonianae, cum lavantibus Nymphis  
6 et aestuantis Tibur umbra Dianae,  
7 Phoebi flagrante verberatur a curru.  
8 Vah ! prisca Roma, nulla nulla jam Roma.
- TRANSIERUNT OMNIA ILLA TANQUAM UMBRA. SAPIENT. 5.

- V30\_1 v.1 Orchestra, ludi, munera,  
2 fontes, arena, Circi,  
3 et editores munerum,  
4 auri que sparsiones ;

5 tragoediae, comoediae,  
6 socci Terentiani,  
7 spectator, actor, (plaudite)  
8 una jacent ruina.

V30\_2 v.1 Summa nihil superat. Perierunt omnia Romae,  
2 maxima, parva, popae, victima, fana, Joves.  
3 Occubuit Scaurus, circensia munera cessant,  
4 eversis cuneis amphitheatra vacant.  
5 Deletus populus statuarum, ancilia Martis  
6 fracta, togae ruptae, dilacerata saga.  
7 Quae septem tumulos jactantior extulit olim,  
8 sub septem tumulis Urbs tumulata jacet.

NENIA.

V30\_3 v.1 Nunc concurrite lacrimae Sororum,  
2 vestraeque exequias parate Matri ;  
3 namque unum in tumulum feruntur una  
4 formosa omnia, quae fuere Romae.  
5 Saltem funebre dedicate carmen.  
6 Huic est condita Roma tota quanta.  
7 Quam cum Tulliola Terentiaque  
8 lugent Italiae nigrae puellae.

V30\_4 v.1 Longam odi pompam. Quin totum elimino funus  
2 et simul et semel est mortua Roma vetus.  
3 Lictores, consul, fasces, dictator, arator,  
4 Curia, Vesta focus. Ludus, arena, Forum.  
5 Patricii, aediles, equites, Asinaria Plauti,  
6 nullo, quod stupes, ordine mixta jacent.  
7 Roma antiqua vale, lacte enutrita lupino.  
8 Salve sparsa agni sanguine Roma nova.

SCAZON XXX.CHAOS.

V30\_5 v.1 Vides cavernam ? Quo, tonante sub caelo,  
2 lapsu repente cuncta jacta sunt uno :  
3 quaecumque bifrons extulit domo Janus ;  
4 corona lata, flava, querna, navalis,  
5 muralis ; aes, [Sestertius] ; theatrales  
6 Stichi Getaeque, Rosciique comoedi ;  
7 Vestale Sacrum, buccinaeque Florales.  
8 Vah, trista Roma, nulla nulla jam Romae.

CUNCTA SUBIACENT VANITATI. ECCLES. 3.

V31\_1 v.1 Qui discutit scientias,  
2 haud mitiora cernet,  
3 quin imo, quando viderit  
4 immitiora, flebit,  
5 quas subtrahendas improbis  
6 credebat esse Parcis ;  
7 solo recisas stirpitis  
8 dolebit occidisse.

V31\_2 v.1 Scilicet a Fatis urbes et sola prementur  
2 saxa ! Sacras artes non minus illa premunt.  
3 Si potes has sicco collapsas cernere vultu,

4 durior es scopulis ilicibusque silex  
 5 quae fatuis vitae fallacia stamina torquet,  
 6 haec quoque non fatuos ludificatur anus.  
 7 Saepe quidem sapiens, colus est ex marmore nostra  
 8 dixerat : et tantum vilis arundo fuit.

V31\_3 v.1 Dulces Aonides, et expeditae  
 2 in certamina mille laudis artes,  
 3 quis tam barbarus improbusque vincit  
 4 post tergum manibus, solo saloque  
 5 proscriptas, medio fugavit orbis  
 6 Mores ! Tempora ! Fastus et cachinnus  
 7 cogunt numina mentium, pudendam  
 8 immortalia nunc subire mortem.

## LUDIBRIUM.

V31\_4 v.1 Quid mihi cum Roma ? Lachrimas quod provocat hoc est :  
 2 tristis in exilium Musa novena migrat.  
 3 Flent homines, piperis thecam si corripit ignis ;  
 4 rident, si tantum Bibliotheca flagrat.  
 5 Qui pallere cupis, qui contabescere morbo,  
 6 qui vulgo fieri fabula longa, stude.  
 7 Nec tam sarcasmus. Quam Mors indocta timenda :  
 8 non prius haec asinos, quam mala sternit equos.

## SCAZON XXXI

V31\_5 v.1 Indigner ? Anne rideam ? Anne deplorem ?  
 2 Et Liberales in luto jacent Artos ;  
 3 ipsaeque Musae, virgines verecundae,  
 4 post non ferenda probra, vimque stultorum,  
 5 raptamque primae castimoniae zonam,  
 6 ad stupra collo protrahuntur obtorto.  
 7 Lauro sepultae verminant sub ambusta,  
 8 vah ! ipsa Pallas fit Medusa, fit serpens.

## VERUNTAMEN IN IMAGINE PERTRANSIT HOMO. PSAL. 38.

V32\_1 v.1 Num restat una linea  
 2 de lineis Apellis ?  
 3 Num vel manus, vel pes tua  
 4 Lysippe sculptus arte ?  
 5 Num de Myrone bucula  
 6 veris amata tauris ?  
 7 Num delicati Mentoris  
 8 caelata Cypris auro ?

V32\_2 v.1 Pellaeum Regem quoties depinxit Apelles !  
 2 Cui soli libuit pingere, quod licuit.  
 3 Et quoties illum Lysippus marmore finxit !  
 4 Cui soli licuit fingere quod libuit.  
 5 Quale hoc aeris opus ? Quod taurus amaverat instar  
 6 uxoris, potuit cui socer esse Myro.  
 7 Mentoris in caelo, quam caelo pulchrior arsit  
 8 Cypris, et haec ubi nunc omnia ? Sub tumulos

## EMBLEMA.

V32\_3 v.1 Jam scit mortuus artifex Apelles.

2 Quae sit linea summa linearum.  
 3 Lysippi statuæ jacent sub ipso ;  
 4 et bos aerea Daedali Myronis  
 5 multis vivere visa, rupta vixit.  
 6 Et captura suo decore Martem,  
 7 Aphrodisia Mentoris marina,  
 8 toto dissiluit polita dente.

V32\_4 v.1 Ex tot Apellaea radiatis vultibus arte  
 2 Quis nasus superest ? Pars quota Bucephali  
 3 multa manu simulacra Deum Lysippe venusta  
 4 finxisti (nec ego plurima ficta negem)  
 5 dic, quibus in terris tua nunc, quibus errat in agris,  
 6 quemve bovem incendit vacca, bubulce Myre  
 7 dic Mentor Veneris Pater ingeniosus eburnae,  
 8 quam tua nunc Idam filia pulchra subit ?

SCAZON XXXII

V32\_5 v.1 De penicillo quot pilos Apelleo  
 2 restare credis, simiasve certantes  
 3 pictis tabellis provocare naturam ?  
 4 Epimethis alter multa saxa Lysippus  
 5 ex arte Pyrrha, ceu maritus uxore  
 6 homines creavit, sed fuere mortales  
 7 i nunc, Myronis aeream bovem mulge,  
 8 ebur procare Mentoris sepultum. Vah !

DEFECIT SUFFLATORIUM. IN IGNE CONSUMPTUM EST PLUMBUM... IEREM. 6.

V33\_1 v.1 Quis auctor ille Phidias  
 2 Olympici tonantis ?  
 3 In aere doctus integros  
 4 exercitus movere.  
 5 Tubam putasses clangere,  
 6 velli que signa castris !  
 7 Qui monstra credunt omnia,  
 8 credant et haec Apellae.

V33\_2 v.1 Inter mira Deum, pleno crepat ore vetustas  
 2 Phidiacasque manus, Phidiacumque Jovem,  
 3 horresco referens ; pleno manus unica campo,  
 4 agmina consertis duxit athena viris.  
 5 Massa informatis pugnabat dura lacertis :  
 6 mandebat sonipes id, quod erat sonipes.  
 7 Denique quid ? Credam ? Sed non Judaea Rebecca  
 8 me peperit. Vos, vos credite Benjamidae.

SANNAE.

V33\_3 v.1 Narrant de Phidiaque Phidiaque.  
 2 (Isti namque brevem volunt fuisse,  
 3 hi (longum) memorabili furore,  
 4 informes animasse Marte glebas,  
 5 Cadmaeas acies dedisse in aere  
 6 vivas, tamque truces, ut intuenti  
 7 prae formidine surgerent capilli.  
 8 Si ! Jam credo volare posse Verpos.

## HYPERBOLE.

V33\_4 v.1 Quid non de Phidia memorant ? Fornacibus illum  
 2 eduxisse acies, aerea signa virum.  
 3 Ibant per campos orichalca moventia bellum,  
 4 et metuenda tulit fusilis arma cohors.  
 5 Addidit hinnitum ferro, dedit aure mitate,  
 6 et nes cire loco stare, notare tubam.  
 7 Ohe, jam satis est. Rumpunt mendacia fibras,  
 8 incurvantque trabes, ut tabulata ruant.

## SCAZON XXXIII

V33\_5 v.1 Quid istud ? Ecquid Fama narrat armata ?  
 2 Ex massa athena Phidiam figurasse  
 3 Thebana bella, Tydeumque, Adrastumque  
 4 dirosque fratres, cum Mimante Phlegraeo  
 5 hinnire visus aeripes equus bruto  
 6 fremens metallo, classicumque sentire  
 7 Graiumque poppuzonta. Crede Judaea  
 8 vah ! ventre gravido et horridum gerens Dagesch.

## QUARE FRUSTRA LABORAVIT? JOB 9.

V34\_1 v.1 Quis pinxit hanc Lucretiam  
 2 casto decore torvam ?  
 3 Ut odit ! Ut se transigit !  
 4 Mors ista paene vivit !  
 5 Narra quis hanc Lucretiam  
 6 faciebat anne fecit ?  
 7 Quid quaeris ? Illum nemo jam  
 8 noscebat anne noscit.

V34\_2 v.1 Aspicias, ut castum fodiat Lucretia pectus,  
 2 ora minax, frontem nubila, torva genas :  
 3 formosam tamen Ira decet. Sic muta videtur  
 4 velle tabella loqui, picta tabella mori.  
 5 Fallimur ; an doctis labor hic defluxit ab astris ?  
 6 An ducente manum Numine, pinxit homo.  
 7 Quis tamen ille fuit ? Cur se non nominat auctor  
 8 quaere in sarcophago ; forte ibi calva jacet.

V34\_3 v.1 En ! Lucretia vivit in tabella,  
 2 lumen nictibus igneum minatur.  
 3 Verus pugio, verus iste sanguis,  
 4 veri pectoris ex pudore manat.  
 5 Pulchri vulneris eminent cicatrix,  
 6 spumantique cruore tingit uber.  
 7 Quis fecit ? Liceat rogare nemo,  
 8 seu nullus, vel uterque, sive neuter.

V34\_4 v.1 Haec est Tarquinii Lucretia casta Superbi  
 2 ulta pudicitiam fortiter ense suam.  
 3 Qui procul aspiciet, falletur imaginis usu :  
 4 vivere jurabit, seque movere manus.  
 5 Vibrantes oculi letali horrore renident.  
 6 Non peto quis pinxit, sed quis in hac tabula  
 7 pictor eam genui ? Fetet. De nomine tanti  
 8 patris et artificis linea nulla super.

## SCAZON XXXIV

V34\_5 v.1 Placet iste vultus, haec Lucretiae forma  
 2 expressa. Quisquis edidit, dedit vivam,  
 3 fortasse quaeri vera possit ad fictam.  
 4 Frontis voluptas cum dolore miscetur ;  
 5 sed os honestum, nescias quid accuset.  
 6 Stridet decorum vulnus, et sinum replet.  
 7 Nec dextra cessat, per Deas ! Quis hanc pinxit ?  
 8 Vah gloriosus et dicaculus. Sutor.

## IMAGINEM IPSORUM AD NIHILUM REDIGAS. PSALM. 72.

V35\_1 v.1 Fallacis uvas Zeuxidis.  
 2 Mendacium jocosum  
 3 quod passeret deceperat  
 4 pendentibus racemis ;  
 5 decerpsit Auster humidus  
 6 heu ! Saevus esuritor,  
 7 nimbus tabellam perdidit,  
 8 et alites fugavit.

V35\_2 v.1 Est ubi, cum scitur Zeuxis, quaeratur imago  
 2 Zeuxidis. Haec, inquis, vitis et uva fuit  
 3 prodi ; te concha decepti vinea sturni,  
 4 atque oculis potuit dulcis imago bibi.  
 5 Audio, quod narras. Hoc non minus : improbus uvam  
 6 expressam foedo diluit imbri Notus.  
 7 Vastatus paries, et vere pensilis hortus.  
 8 Damna vetustatis vitis et uva tulit.

## MIRACULA.

V35\_3 v.1 Velo Parrhasius latente Zeuxin,  
 2 picta Zeuxis aves fefellit uva :  
 3 uva purpureaque, caerulaque,  
 4 fixa in pariete mitibus flagellis.  
 5 Quae non tam radiata penicillo.  
 6 Quam Thyrsi potuit stylo videri.  
 7 Ah ! nimbo periit vorante tota.  
 8 Haec vindemia nobilis colorum

## ADYNATON.

V35\_4 v.1 Zeuxidis uva tuis gemmis praefertur Iacche,  
 2 uva quidem tantum picta, merusque color  
 3 at quovis, si non caruisset odore sapore,  
 4 vinum Cos poterat dulcius inde premi,  
 5 gustavit passer, quamquam velocior Auster.  
 6 Praerepta bibulam vite fefellit avem.  
 7 Helluo ventus erat. Siccum et spectabile vinum  
 8 ebibit. A pluvio putruit uva Jove.

## SCAZON XXXV

V35\_5 v.1 Antiquitatis ista praerogativa est ;  
 2 uvas comesse, quas coloribus Zeuxis  
 3 implevit. Is tam musteos sua fecit  
 4 manu racemos ; ut volatici fures  
 5 (quos inter est et innocens avis passer)

6 totis diebus pectinaverint rostro,  
 7 (et pectinabat saepe saepius passer)  
 8 vah ! Bruma totum tabefecit Autumnum.

RURSUM CONTEMPLATUS SUM OMNES LABORES HOMINUM... ECCLESIAST 4.

V36\_1 v.1 Priscis sepultis junior  
 2 florere coepit aetas  
 3 Durerus absque circino  
 4 qui circulum creavit  
 5 colore clarus Angelus.  
 6 Colore Pisanelli,  
 7 Callotus, ater, candidus.  
 8 Bolsu vertij, Rubeni.

V36\_2 v.1 In veterum famam docti fluxere nepotes,  
 2 ingenio, manibus, moribus, arte pares.  
 3 Quis nisi Durerus potuit sic ducere Sphaeram,  
 4 ut manus una sibi circinus ipsa foret,  
 5 quod fuerat quidam Cois, hoc Angele Romae,  
 6 hoc Florentinis es Pisanelle rosis ;  
 7 hoc nobis Lotharingus erit Callotus, in aere  
 8 aureus ; et vivo Belga colore Rubens.

FATA.

V36\_3 v.1 Discedunt veteres, et in theatrum  
 2 personae veniunt recentiores.  
 3 Durerus digitum movens in orbem :  
 4 hic est circulus, inquit, et recessit.  
 5 Prodit Angelus, ingemitque maestum :  
 6 sic vivit moriturus ; et recessit.  
 7 Paulus ecce Rubens, silete, clamat :  
 8 sic vivi moriuntur ; et recedet.

V36\_4 v.1 Jamque adeo veterum, velut umbra, evanuit aetas :  
 2 altera nunc nostro pullulat herba solo.  
 3 Circulus Alberti solo carbone notatus,  
 4 annulus est digitis, Norica Virgo, tuis.  
 5 Alter apud Tuscos Zeuxis Pisanelle vocaris,  
 6 Angelus Urbinas nomen Apellis habet.  
 7 Quis placeat magis, anne Rubens anne albus. An ater.  
 8 Hic pictor triplex, est simul ipse color.

SCAZON XXXVI

V36\_5 v.1 Truduntur anni. Trudit artifex primum  
 2 secundus ; istum tertius ; novi priscos.  
 3 Pygmaeus ater circulusque Dureri  
 4 vincant catenas et Cyclopa Timanthis :  
 5 sic Raphaelis Itali puer, grandem  
 6 virum Theonis nempe Belga famosus  
 7 Rubens, Apelli cedet, immo non cedet.  
 8 Vah ! quae per artes it reditque vertigo !

NON EST PRIORUM MEMORIA, SED NEC EORUM QUIDEM, QUAE POSTEA FUTURA SUNT... ECCL. 1.

V37\_1 v.1 His Palma nunc addicitur,

2 at quam diu virebit ?  
 3 Vertente caudam saeculo,  
 4 vix amplius virebit.  
 5 In plurimis provinciis  
 6 fuisse nescientur.  
 7 Obliviosus nominum  
 8 illos vocabit olim.

## NOMENCLATURA.

V37\_2 v.1 Istis astra micant, hos gloria floribus ornat :  
 2 et nardo et violis, et casia et Cyane,  
 3 et Myrto malisque ; sed o quo gloria tendis ?  
 4 Nonne brevi dices : nos quoque floruimus ;  
 5 exactis octo lustris, sistetur imago  
 6 nobilis a docta suspicienda manu !  
 7 Nomina quaerenti auctoris, tibi ficta dabuntur :  
 8 hanc pinxit Caius Respha Clasomenius.

V37\_3 v.1 His actoribus explicata Palma.  
 2 A summis datur infimisque. Vivant.  
 3 Regnent, et populi per ora currant.  
 4 Atqui post aliquot superba messes,  
 5 laus cum messe cadet ; putrisque famae  
 6 cristatum caput et decoris alas,  
 7 et linguam bona verba nuntiantem,  
 8 longa obliviam mortis amputabunt.

V37\_4 v.1 Omnibus in silvis horum penetrabilis Echo  
 2 nomina percussa rupe sonora canit.  
 3 Dic mihi quid vox est, nisi flabilis aura ? Quid aurae  
 4 aura ? Quid hic est, quem vocis imago canit ?  
 5 Post aliquot soles occumbet fama ; nigrique  
 6 tam nigra fors fuerit, quam fuit ipse niger.  
 7 Quis pinxit, quaerent aliqui ; responderit heres ;  
 8 Aleph Beth Gimel, sic mihi dixit avus.

## SCAZON XXXVII

V37\_5 v.1 Hos noster Orbis basiare dignatur.  
 2 Horum ferina fertilis, pepo major,  
 3 lactuca Tusca, brassicaque sunt latae.  
 4 Nam quid Nealces, Pausias, Pason ? Isti  
 5 faciunt utramque paginam triumphalem  
 6 sed auguramur, quod licet. Trahent olim  
 7 et hi suam rubiginem super saxo.  
 8 Vah ! dicit ille et illa : quam rudis pictor !

## QUI LOQUITUR MENDACIA, PERIBIT. PROVERB. 19.

V38\_1 v.1 Quod frendeas, res maximas  
 2 quandoque parva vastat,  
 3 Smyrnaea certe carmina  
 4 non struthio voravit.  
 5 Sed una tantum syllaba,  
 6 sed nequior trecentis  
 7 illam trecentis felibus  
 8 ut dii deaeque perdant.

V38\_2 v.1 Ingemis auditis ? Audi pejora : peritur  
 2 turpius, in lucro est mors miseranda minus,



3 Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenae,  
 4 te sibi quisque deum civis, Homere, rapit.  
 5 Adde : quod et fures rapiant tua carmina mures,  
 6 et quaerant flavum cum tuo Ulysse favum.  
 7 Laudo ; sed ignavis indignor felibus, illae,  
 8 olim debuerant hanc jugulasse gulam.

## EXPOSTULATIO.

V38\_3 v.1 Fumantem movet aemulis salivam ;  
 2 quod sublimia, ducta ad umbilicum,  
 3 albo pumice rasa, digna cedro,  
 4 cum probro monumenta destruantur.  
 5 Doctos Iliadis sacrae labores,  
 6 rosit mus opicusque putidusque,  
 7 quid vivis cate ? Cui bono creavit  
 8 te Natura ? Vorare mus Homerum !

V38\_4 v.1 Quid ? Quod ab indoctis docti crucientur ? Homerus  
 2 jam non respondet ton d'apameibomen.  
 3 Quae fera divini caelestia vincula vatis  
 4 solvit ? Hyaena, bison bubalus, ursus, aper  
 5 bellua qua ? Quid Musa jubes expromere ? Taedet,  
 6 et piget atque pudet dicere : Musa sine.  
 7 Bellua qua ? Pudet ah ! quae bellua ? Ridiculus mus.  
 8 Quis posthac saevos arguat esse catos

## SCAZON XXXVIII

V38\_5 v.1 Et hanc propino nauseam. Sit ex arte  
 2 opus politum, Palladisque nocturna  
 3 fragret lucerna : non potest ab infami  
 4 perire dente ? Testis Ilias caeci  
 5 oculus poetae : quem trifurcifer scalpsit  
 6 bibliopibulus eruitque psicharpax.  
 7 Ne obstitere perditissimae Feles.  
 8 Vah ! quid poeta non poeta sperabit ?

## NUMQUID VISIONEM CASSAM VIDISTIS, ET DIVINATIONEM MENDACEM LOCUTI ESTIS. EZECHIEL. CAP. 13.

V39\_1 v.1 Macer Maro disparuit,  
 2 et cum Marone Dido ;  
 3 pinguisque Flaccus Cerbero  
 4 ut porcus immolatus ;  
 5 Nasonis elegantiae,  
 6 Rhamnusiae Tibulli,  
 7 Propertianae Cynthiae,  
 8 et Lesbiae Catulli.

V39\_2 v.1 Quem tantum finxit sibi sexto Aeneidos Orcum ?  
 2 Mortuus ah ! verum jam videt esse Maro.  
 3 Maecenas atavis rex regibus edite, Flaccum  
 4 huc quoque vidisti praecipitare tuum.  
 5 Non superest Naso, non ille Propertius Umber,  
 6 cui tenero cordi Cynthia sola fuit.  
 7 Sed neque Veronae superat genialis alumnus.  
 8 Cumque tua Nemese, maeste Tibulle, jaces.

V39\_3 v.1 Jam nullas canit eclogas Maronis

2 famosus Meliboeus, aut Menalcas  
 3 plus quam Tantalea siti laborat  
 4 fracta tristis Horatius Iagoena.  
 5 Nasones quoque transiere, et una  
 6 dulces nequitiae Tibullianae, et  
 7 nequam stultitiae Catullianae, et  
 8 stultae laetitiae Propertianae.

## ONOMATOPEIA.

V39\_4 v.1 Ille ego qui quondam gracili modulatus avena  
 2 dicere jam cessas : "Arma virumque cano".  
 3 Et tu Flacce jaces, Epicuri de grege porce.  
 4 Infernoque epulum das epulande Jovi.  
 5 O ! bene, quod vivens lessum sibi fecerit ipsi,  
 6 qui periit gladio, Naso poeta, suo.  
 7 O ! male, quod sero vestros Mors carpsit amores,  
 8 docte Catulle tuos, culte Tibulle tuos.

## SCAZON XXXIX

V39\_5 v.1 Et Mantuanus occinens sibi lessum  
 2 olor senilem, cum dolore decessit.  
 3 Lyra Venusina jam Proserpinam mulcet,  
 4 si fallit aures ; est Megaera, quae plectat.  
 5 Focus Tibulli friget. Umbriae valles  
 6 suo carent Aurelio ; suos tristis  
 7 luget Catullos Lesbiasque Verona.  
 8 Vah ! ipse longo Naso ductus est Naso.

## FALLAX EQUUS AD SALUTEM. PSALM. 32.

V40\_1 v.1 Pincerna vatum Pegasus  
 2 confossus ense Turco,  
 3 in posterum quid nectaris  
 4 sicco propinet ungui ?  
 5 De pelle caesae belluae  
 6 non Mantuana Musa.  
 7 Sed forsan indoctissimus  
 8 vestitus est satelles.

V40\_2 v.1 Pegasus Othrysi porrectus acinace Turci,  
 2 dicitur in bifido procubuisse jugo.  
 3 Jam non fatidicum movet exhalantia numen  
 4 stagna, nec hinnitu Phocidos antra replet,  
 5 viscera sparsa jacent, divulsaque ab ossibus ossa  
 6 et qua debuerat pelle poeta tegi ;  
 7 forte poetarum Momus vestitur ; et istum  
 8 turpe rudens asinus corpore gestat equum.

V40\_3 v.1 Felix bellua Persei lupatis,  
 2 cujus Bellerophon volavit alis  
 3 poenas Threicio dedit tyranno  
 4 Stratus Pegasus, inque mille frustra  
 5 concisus vomet entheum liquorem ?  
 6 Illum non utinam stupor comesset  
 7 cui nomen proprium excidit Melampi  
 8 qui nullum, nisi scripserit, salutet.

## ANATHEMA.

V40\_4 v.1 Illum illum tigridis lactarunt ubera, qui te  
 2 confodit centum Pegase vulneribus.  
 3 Ergo jaces nullasque fremens sitientibus undas  
 4 elicis, aetheria digne caballe plaga.  
 5 Exuviasne tuas infamis lictor habebit  
 6 non potius thorax Virgilianus erunt ?  
 7 O scelus hac Mopsus gradiens in pelle superbit  
 8 vide, dicens, quod sum ego mire poeda felox.

## SCAZON XL

V40\_5 v.1 Lugete vates, Pegasum, decus vestrum,  
 2 agit bubulcus Ottomannicae caulae,  
 3 sub Machomete fustibus trucidavit.  
 4 Triste hinniebat quadrupes, adhinnite.  
 5 Ictus tremebat palpitante nil posthac  
 6 fundet liquoris : jam sitite. Detracta  
 7 in pelle sese jactat ambulans stipes !  
 8 Vah ! hoc poetae sustinere vos probrum !

## VERE MENDACES ERANT COLLES, ET MULTITUDO MONTIUM. IER. 3.

V41\_1 v.1 Parnassus ipse evanuit  
 2 videntibus Poetis :  
 3 exaruere laureae,  
 4 stupentibus Poetis.  
 5 Fugereserta Bacchica,  
 6 gementibus Poetis ;  
 7 striges tulerunt barbata,  
 8 frementibus poetis.

V41\_2 v.1 Quid mihi Parnassum toties cantastis amici,  
 2 ille tamen nunquam Collis in Orbe suit.  
 3 Dixistis : certa, ventet Peneia Daphne,  
 4 velabitque tuas casta puella comas.  
 5 Credidimus ; sed nulla fides. Peneia Daphne  
 6 nulla venit, Daphne Thessala nulla venit.  
 7 Adde : quod et digitis citharae parere recusent ;  
 8 fila tremunt ceu mors unguibus illa trahat.

V41\_3 v.1 Parnassus, deus omnium deorum,  
 2 in quas nescio se migrarit oras.  
 3 Ingens cordolium omnibus poetis,  
 4 vili straminis orbe laureatis.  
 5 Daphne, desiit esse virgo Daphne,  
 6 sunt fractae citharaeque tibiaeque,  
 7 dic porro, quid agent in Urbe vates ?  
 8 Si recte memini ; famem fricabunt.

V41\_4 v.1 In qua Valle latet Mons, de quo Publius olim ;  
 2 pandite, cum dixit, nunc Helicon Deae.  
 3 Fugit, ut et laurus coguntur tempora vates  
 4 glandibus (o sertum !) cingere Chaoniis,  
 5 tam nullae crescunt hederæ sub Phocidos antro,  
 6 quam nullae Oetaeo Caucaseoque jugo ;  
 7 quodque ego detestor, mota Testudine, tristis  
 8 clamor, et horrendae vocis imago redit.

## SCAZON XLI

V41\_5 v.1 Juvate vestra bella monstra cantantem.  
 2 Musae juvate, si fuit ; fuit vester  
 3 biceps, tricepsne, centicepsne Parnassus ?  
 4 Quid sunt sequaces ductilesque per rupem  
 5 herbae canoram ? Flore quis suos umquam  
 6 virente crines gratiosus incinxit ?  
 7 Falsorne ? An aurem dulce ludit Euterpe  
 8 vah ! plena nugis mentientibus plaustra !

ERUBESCETIS SUPER HORTIS QUOS [ELEGERATIS ?]... ISA. 1.

V42\_1 v.1 In tesqua versus degener  
 2 hortus novem Sororum  
 3 Daphnen fugarunt floridam  
 4 lappaeque carduique,  
 5 in quo frequenter anguipes  
 6 serpebat herba clivo ;  
 7 urtica crescit noxia,  
 8 et igne pejus urit.

V42\_2 v.1 Sed neque jam primae sortis topiaria cerno,  
 2 aspera nec clariis floribus arva fragrant.  
 3 Ante quidem thymbra, lauroque, thyoque virebant ;  
 4 nunc tenet obsessos plurima lappa toros.  
 5 Serpylla, et faciles hederas in vincula duci,  
 6 saeva trucidavit diripuitque manus.  
 7 Urtica in thalamo dominatur adultera Florae.  
 8 Non facile adrectes Pieri ; urit enim.

V42\_3 v.1 Qui quondam fuit hortus, est Eremus  
 2 portentum prius elegantiarum.  
 3 Nunc compendium inelegantiarum,  
 4 ductis sentibus impeditus horret.  
 5 Nec Bacchi coma, floridove myrtus  
 6 lascivas hederas amore nectit.  
 7 Linguis pullulat herba virulentis.  
 8 O ! ne tange malam : urit, urit, urit.

V42\_4 v.1 Dicite Castalides, quis vestrum perdidit hortum ?  
 2 Quis casiam. Et costum, et cinnama vertit aper ?  
 3 Omnem tam subito laurum exedere capellae.  
 4 Quid facit in prato carduus Aonio ?  
 5 Quis colles fertis nubentibus interdixit ?  
 6 Ulmum cur refugit vitis amare suam ?  
 7 Scilicet urticae stimulum aversata Thalia,  
 8 ut mala me (dii te) Bestia mordet ! ait.

## SCAZON XLII

V42\_5 v.1 Intremus hortum, quam Favonii pronum  
 2 suaviantur ore ! Laeta sunt Tempe  
 3 Heliconis. Aether ridet, et sacris ningit  
 4 rosisque liliisque, contubernales  
 5 palmae susurrant ; populique suspensae  
 6 fagique et alni, provocantibus flabris,  
 7 fagos et alnos, populosque solantur.

8       Vah ! tristis ironia amara valde. Vah !

UBI SUNT DII TUI, QUOS FECISTI TIBI ? IEREM. 2.

- V43\_1   v.1     Ah ! exsecratas Delphicus  
           2       tripus stat inter ollas,  
           3       Apollo rursus pastor est,  
           4       sedensque tondet agnos.  
           5       Polluta Cyrrha texitur  
           6       telis aranearum :  
           7       victrix Arachana Palladi  
           8       insultat exsulanti.
- V43\_2   v.1     Delphicus ille tripus, qui quondam oracula fudit,  
           2       impositus flammis rustica pisa coquit  
           3       pascit Apollo greges, notisque Amphrisius arvis,  
           4       lanificas empta forfice tondet oves.  
           5       Quid ? Quod in Aoniam penetrarit Aranea Cyrrha,  
           6       venati Musas cassibus ausa suis.  
           7       Tela Minerva jacies ? Telam cave flava Minerva :  
           8       figet enim tela pectus Arachna tuum.
- V43\_3   v.1     Delphorum Tripodem faber profanus,  
           2       et contemptor, in ordinem redegit.  
           3       Sub fago sitit, esuritque Apollo.  
           4       Nodoso quoque scipione nixum,  
           5       vidi pascere Myrtili bidentes ;  
           6       arcanisque cubilibus Minervae  
           7       oppandi laqueos, quot a trecentis  
           8       annis nexuit impudens Arachna.
- V43\_4   v.1     Quam verum optasti Delphis tibi dicere, sordet  
           2       in manibus crudi fictilis olla coqui.  
           3       Si quaeris quid agat noster crinitus Apollo,  
           4       hoc tantum possum dicere : pascit oves.  
           5       Interea petulans it rupit in exsulis aulam,  
           6       liminaque obstructis clausit Arachna plagis.  
           7       At tu exclusa fores frustra Tritonia pulsas.  
           8       Cessa : non aperit Lyda puella tibi.
- SCAZON XLIII
- V43\_5   v.1     Mentitur autem rumor in suum collum.  
           2       Adhuc futura pandit illa, quae Delphis  
           3       servatur olla, plena mystici fumi,  
           4       Apollo dives nulla pascit armenta ;  
           5       sed in reducta valle barbiton pulsat,  
           6       nec involuta Cyrrha retibus squallet !  
           7       Aranearum, sed tapetibus fulget.  
           8       Vah ! tristis ironia amara valde. Vah !

ET SICCABIT VENAM EIUS, ET DESOLABIT FONTEM EIUS. OSEAE. 13.

- V44\_1   v.1     Fons Castalis, fons Castalis  
           2       amisit omne numen.  
           3       Limosus haeret margini  
           4       vulgaris instar undae.

5 Nullius oestrum Spiritus  
6 concussa ripa sentit ;  
7 pigroque marcens alveo  
8 aquas trahit profanas.

V44\_2 v.1 Fons Aganippaeus, sancti vindemia Phoebi,  
2 in faeces olidas transiit, inque lutum.  
3 Non illo magis alta palus Maeotica marcet,  
4 quaeque putres ranas tabida nutrit aqua.  
5 Quid moveam stagnum ? Nulla tamen arte movetur.  
6 Non est in toto vivida gutta Dei.  
7 Accubat in ripis, ut fessus messor in agro,  
8 et dormit somnum languida lympham suam.

V44\_3 v.1 Fons, qui Pegasidum replevit urnam,  
2 quondam splendidior vitro trigono ;  
3 nunc est tubere taetrius palustri.  
4 O fons ! Blandusiae supra nitorem,  
5 quondam perspicuusque limpidusque  
6 nunc infra vada pigra stantis undae,  
7 a fundo, vapidusque luridusque,  
8 o jam non aqua viva, sed cadaver.

V44\_4 v.1 Castaliae lymphae, quondam libamina vatam,  
2 maerent, et nullo numine ripa salit.  
3 Vidi ego, cum nuper fontem spatiarer ad illum  
4 horrida quam turpi squalleat unda situ.  
5 Non caluit gurgis, nunquam surrexit arena,  
6 non fluctus bullis intumescere novis.  
7 Nec Lethen magis esse soporiferam puto possum hoc.  
8 Scribere carmen vix, cogito quando de eo.

SCAZON XLIV

V44\_4B v.1 Pimplaeus humor, humorille Pimplaeus,  
2 mutare mentem mollis unda, quam lambunt  
3 avidi poetae ; funditus profanata  
4 latet sub ulva, nilque distat a vappa ;  
5 nec concitatis fons inaestuatur spumis.  
6 Quamquam inde sumas mille congios, semper  
7 pumex manebis, siccus, aridus pumex.  
8 Vah ! Hippocrenen gurgitis caballini

ET OBSURDESCENT OMNES FILIAE CARMINIS. ECCLES. 12.

V45\_1 v.1 Sic, unde Divum munere  
2 soli bibere vates ;  
3 Boeotus inde turbidam  
4 quivis camelus haurit ;  
5 sitim levant et Arcades  
6 lyram subinde pulsan  
7 hinc spasmi ille versuum,  
8 strumaeque pessimorum.

V45\_2 v.1 Dum furor hoc olim caelestis in amne natabat ;  
2 hinc, donec vomeret, quisque poeta bibit.  
3 Ast ubi turbatus liquor est potante camelo,  
4 intactam praefert quisque poeta sitim.

5 Illo fonte bibam ? Quem longis auribus haurit,  
 6 Sileni sonipes, Alphisiboeus onos.  
 7 Jam non miror ego passim tot carmina vendi,  
 8 incusso colapho quae mereantur emi.

V45\_3 v.1 Isti prostituam meos calores  
 2 naturamque poeticam lacunae ?  
 3 Si quascumque feras lavet, laventur.  
 4 Sed quae carmina ? carminanda : quaeque  
 5 pejus dicta sonent, in obsoletae  
 6 nodis ilicis hirriente serra.  
 7 O ! si vatibus his cacuminatis,  
 8 Musae pro strophio darent echinum.

INDIGNATIO.

V45\_4 v.1 Denique quis, dixi, bibat hanc sine nomine vappam !  
 2 Quamquam olim (memini) saepius inde bibi.  
 3 Sic ego : cum turpis vervex, et crassus et ingens  
 4 haurit eam gibbo stante camelus aquam.  
 5 Accurrunt Asini bipedes, et amica luto sus.  
 6 Inque palude canunt ; o glaciale chaos ?  
 7 O vere deformis hiems ! O flabra trionum !  
 8 O nequam versus ! O

SCAZON XLV

V45\_5 v.1 Quisquamne sanae mentis, instet haurire  
 2 sudans et algens, tam putrem vadi limum ?  
 3 Deoque cassas e paludibus faeces  
 4 libet, camelis commoventibus lympham ?  
 5 Aurita quin et acris ingeni mula,  
 6 constanter inquinata proluit labra.  
 7 Mox stans in uno, mille porricit versus.  
 8 Vah ! quas polentas, quae venena fungorum.

VANA LOCUTI SUNT UNUSQUISQUE AD PROXIMUM SUUM. PSAL. 11.

V46\_1 v.1 Obmutuere Tullii.  
 2 Obmutuere Crassi,  
 3 Hortensii, Sallustii.  
 4 Altum silent in Urna.  
 5 famosa Rostra rhetorum  
 6 pessum dedere Gotthi ;  
 7 vertunt in usus pristinos  
 8 recepta frustra nautae,

V46\_2 v.1 Tullius eloquii pelagus diffusius olim,  
 2 siccior est tofo pumicibusque cavis.  
 3 Siccus es Hortensi, Sallusti, Crasse ; nec ulli  
 4 ex cine- jam -facto gutture verba fluunt.  
 5 Quanta quies Romae ! Venti posuere forenses.  
 6 Nulla in facundo gurgite causa natat.  
 7 Quae vetus in fluctu populari rhetor agebat,  
 8 mersa nigris Thules Rostra feruntur aquis.

PHILIPPICA.

V46\_3 v.1 Non crassum queror aut perisse Crispum,  
 2 te te lugeo flende, Marce Tulli,

3 sica Popilii perempte servi,  
 4 non tantum tua villa Tusculana  
 5 antiquo domino caret ; sed ipsa,  
 6 quae te Rostra tulere personantem,  
 7 postquam et murmura Fulvia tulerunt ;  
 8 piratae rapuere sanniones.

V46\_4 v.1 O ! fortunatam natam me consule Romam !  
 2 Hoc olim : seq nunc Marce diserte taces.  
 3 Sunt muti cineres, quos urna Hortensius efflat,  
 4 et jam de Crispo scribitur historia.  
 5 Heu pudor ! In Latiis saltavit Simia Rostris,  
 6 Ursa peroravit, Vandalicusque Catus,  
 7 istane sunt igitur famosae frusta triremis :  
 8 caesa manu toties rhetoris. Icta pede :

SCAZON XLVI. PRODIGIA.

V46\_5 v.1 Facundus oris et disertus Arpinas  
 2 tacet resectus colla, mutus ut piscis.  
 3 Sallustiana fama cum Jugurthino  
 4 sopita bello, conquiescit in castris.  
 5 Quae leguleius Rostra pressit orator,  
 6 piscator avexisse fertur Hollandus ;  
 7 frustis carinas navium resecturus.  
 8 Vah ! forte Rostra remigans capit salpas.

MULTI CECIDERUNT IN ORE GLADII, SED NON SIC, QUASI QUI PERIERUNT PER LINGUAS SUAS. ECCLI. 28.

V47\_1 v.1 Fabri disertum filium,  
 2 fabrum Philippicarum.  
 3 Angina pridem seria,  
 4 non ficta, strangulavit.  
 5 Hic est, hic est Demosthenes !  
 6 ancilla monstrat olim ;  
 7 sed jam licebit quaerere :  
 8 ubi ergo sunt Athenae !

V47\_2 v.1 Atticos orator, princeps incude relicta  
 2 factus, et indocti gloria docta fabri :  
 3 tutius o quanto tractasset forcipe ferrum,  
 4 quam quod agens causas aurea verba dedit.  
 5 Mentiri nocuit. Periiit miser : idque figuris  
 6 omnibus atque tropis parca Pelasga probat,  
 7 quid prodest digito ostendi ? Quod garrula quondam  
 8 fecit ad undantes Hydria fontis aquas.

V47\_3 v.1 Facundissime Cecropis nepotum :  
 2 qui tot crimina tristium reorum ;  
 3 ut fert patria terra, palliatus,  
 4 verbis consiliisque palliasti ;  
 5 exsul denique nudus interisti.  
 6 Et tunc nulla puella dixit : "Hic est,  
 7 quem monstro tibi rhetor. "Autos eute  
 8 Psellizei", bene dicit iste Balbus.

V47\_4 v.1 Forsan adhuc magni stupeas Demosthenis artem,  
 2 qui linguam ad cotem blaesulus exacuit ;



3 Argentangina, morbo pejore, peremptus.  
 4 Finis in exsilio rhetoris iste fuit.  
 5 Frustra ancilla manu protenta perstrepit : "Hic est".  
 6 Hic terror, Macedum Magne Philippe, tuus.  
 7 Monstraret tumulum saltem, libramque vel unam  
 8 pulveris, aut dentem, qui genuinus erat.

SCAZON XLVII.PAROXYSMUS.

V47\_5 v.1 Demosthenes orare jussus, "O andres  
 2 (namque hoc crepabat millies) Athenaioi"  
 3 inter - - repente faucibus stetit - - tractis ;  
 4 Retroque lapsus, "Eipa" dixit extremum.  
 5 Laudatus ante, cum suum "sophos" belle  
 6 audisset ; olli cor movebat, ut tauri  
 7 profecta ; palmo sesqui pectus exstabat.  
 8 Vah ! blaese, fama sic puella lactari.

VERBA SUNT PLURIMA, MULTAMQUE IN DISPUTANDO HABENTIA VANITATEM. ECCLES. 6.

V48\_1 v.1 Zeno, Thales Milesius,  
 2 Solon, Bias, Cleanthes ;  
 3 barba sophi spectabiles  
 4 instar trucis Cometæ ;  
 5 postquam canora pulpita  
 6 stravere disputando ;  
 7 tandem catarrhis obruti  
 8 tussire desierunt.

V48\_2 v.1 Ad sectas venio bacchantes more Cleanthæ,  
 2 et Chrysippææ nomina nota Scholæ.  
 3 Barbati ! Proceres, quibus hircus ab ore pependit,  
 4 mixta decussatis lana caprina pilis.  
 5 Volvebant grandes nugas de corpore quanto,  
 6 de Mundi cunis, de genitrice Maris.  
 7 Dum clamant, agitantque manus, rumpuntque columnas,  
 8 ilia ruperunt ; stamina parca jacent.

SOPHISMA.

V48\_3 v.1 Quis nunc excutiat scholas Sophorum ?  
 2 (Verbi Gratia rancidi Biantis,  
 3 qui secum sua semper obsoleto  
 4 in dorsi cophino tulit) supersunt ?  
 5 Mors rixantibus intulit sophisma.  
 6 Aut vis, dixerat, aut, amice, non vis.  
 7 Sed non vis : (comes ire mortis) ergo  
 8 vis. Si vis : (comes ire) vade mecum.

DELICIAE.

V48\_4 v.1 Huc coliphia pessima carminum, ad antiquum aevum  
 2 tendimus ? Horrendos imus enim adque Sophos.  
 3 Quorum atro mento barbas (mirabile dictu)  
 4 Naturæ manus inscripserat in folio.  
 5 Ructabant verum : nunquam non ore spuebant  
 6 docti aliquid ; gnari et dinumerare atomos.  
 7 Sed quo versibus his miserabilibus crucianda  
 8 monstra hæc venerunt denique ? Mortua sunt.

## SCAZON XLVIII. PRODIGIA.

V48\_5 v.1 Favete linguis Manibus parentamus  
 2 Zenonis, et Zenoniani Aristippi.  
 3 Ollis scatebat sub veterrimo mento  
 4 in utramque partem disputanda barbai  
 5 thesis, sonabat ore tussis hirsuto.  
 6 Conchyliata diluere gutturem sputa.  
 7 Sed dum ore, Naso, disputantque sputantque,  
 8 vah ! Mors salivam, quae fluebat, abstersit.

## NOS INSENSATI ERRAVIMUS A VIA VERITATIS. SAP. 5.

V49\_1 v.1 In qua vetus computruit  
 2 Antisthenes caverna ?  
 3 Quo morio Democritus  
 4 defecit in cachinno ?  
 5 Silvaeque truncus Stoicae,  
 6 Canisque Palliatus ?  
 7 Versare suetus dolium,  
 8 ut Sol suam quadrigam.

## AUGIA

V49\_2 v.1 Ipse Crates Antis- que -thenes sub caespite fetent ;  
 2 iste suae vitae prodigus, alter opum.  
 3 Tandem Democriti lassatus pulmo resedit ;  
 4 cui totum et tantum vivere risus erat.  
 5 Testae habitatorem Cynicum porrigine plenum,  
 6 Diogenem occidit sesquitanina fames.  
 7 Mirandum est, quali stupor hic regnarit in aula :  
 8 Sole movente suam, movit et ipse suam.

V49\_3 v.1 Non omnes cinerum movebo fossas.  
 2 Inquiram tamen an profundus Orbis  
 3 risor Democritus sit insepultus.  
 4 Fertur tantum habuisse splenis unus,  
 5 quantum mille homines, in officina  
 6 nutriti modiis facetiarum.  
 7 Sed quid Diogenes agit Molossus ?  
 8 Quod praesepe vorat ? Quid Umbra latrat ?

## BELLARIA

V49\_4 v.1 Sic age deinceps Musa mea, exululans mihi dic : quo  
 2 venit praeceptor rabula Diogenis ?  
 3 Et qui perpetuo ridens sursum atque deorsum  
 4 Mundum irridebat risibus assiduis.  
 5 Et qui macra prae ariditate friabilis, omnes  
 6 rictu allatrabat dolio in exiguo.  
 7 Nonne suo in stabulo periit cum straminibusque ?  
 8 Quonam alio huncce Canem carmine namque canam ?

## SCAZON XLIX

V49\_5 v.1 Hic postus est Antisthenes sophus. Claude  
 2 nares, viator : foetet, foetet.  
 3 Hic postus est Democritus : totus  
 4 pulmo aeger spiritum cachinnavit.  
 5 Hoc stoicorum stipes truncorum

6 fimeto homo secundum quid  
7 citer autem canis  
8 colore odore et ore.

UBI NUNC SUNT SAPIENTES TUI ? ISAI. 19.

- V50\_1 v.1 Dic quo cubet sub cespite  
2 silentii magister ?  
3 Nunquam satis leguminum :  
4 nil ausus esse pulpae.  
5 Quae seminudi Socratis  
6 spelunca condit ossa :  
7 ubi uxor ejus putida  
8 caputque trunca - tippe ;
- V50\_2 v.1 Sed neque Pythagoram violento mortis ab ictu  
2 littera defendit Pythagoraea suum.  
3 Qui parce cenavit, olus, lenteque comedit  
4 lentem, quippe memor : ne quid in ore nimis,  
5 te quoque calve senex Sapiensque vocate, cicuta  
6 sustulit, et nemo Socratis ossa tulit  
7 Xanthippe periit, placidi Jovis improba Juno,  
8 e scaphii toties vindice nube pluens.
- V50\_3 v.1 Quid piscis Samius silet ; quid ore  
2 clauso Pythagoras facit, stupendus  
3 verborum Euclio : diis famem malignis  
4 vovit, sustinuitque contumacem.  
5 Arsurus Siculo prius juvenco,  
6 quam cocti bovis ore polluendus,  
7 Pol ! Quid Socratis uxor, aurearum  
8 Xanthippe facit Alpha feminarum.
- V50\_4 v.1 Qualiter est moriens quoque mortuus in sabuleto.  
2 Qui vivens vixit, nomine Pythagoras.  
3 Hic numquam (sic me dii ament) olera atque legumina  
4 ad satiem audebat dejicere in stomachum.  
5 Non minus exstinctus pater ingens Socraticorum est :  
6 quamquam hilaris Stygias ivit et ad tenebras.  
7 Viderit autem Hecate, conjux ubi sit Xanthippe :  
8 quae quia erat mala tam est digna quoque hisque metris,
- SCAZON L
- V50\_5 v.1 Hic est sepultus qui piaculum grande  
2 loqui. Putavit si vel unicum verbum  
3 ore excidebat somniantis in poenam  
4 fabas removit quattuor septem.  
5 Solitus comesse gastrimargus ut...  
6 Hic fertur esse. Filius. Sophronisci.  
7 Hic dira Deira dira Xanthippe proterva

DICENTES ENIM SE ESSE SAPIENTES, STULTI FACTI SUNT. AD ROM. 1.

- V51\_1 v.1 Dic : quid Platonis manserit  
2 de maximo Platone ?  
3 Quam Gallus implumis, bipes ?

4 (Cur non et ocreatus ?)  
 5 Vah ! Vah ! Homo Platonicus !  
 6 Cenandus in culina.  
 7 Gulae futurus gratior.  
 8 Quam ferculum Thyestae.

## OESTRUM.

V51\_2 v.1 Eloquar hoc etiam, licet indignentur Athenae :  
 2 divinus periit, disperiitque. Plato  
 3 pro caeli terraeque pudor ! Sophus omnia novit.  
 4 Cur igitur nescis, mi Sophe, quid sit Homo ?  
 5 Est, inquit, animal generosum, implume, bipesque,  
 6 sic scio, quid gallus ; non scio quid sit homo.  
 7 Aut serte hanc hominem fas est apponere mensis :  
 8 nec tamen aversos sol revocabit equos.

V51\_3 v.1 Nunc intrabo sacrarium, quod olim  
 2 sparso ture colunt Athenienses.  
 3 Salve magne Plato, magister Orbis.  
 4 Dic : quid est homo ? Gallus absque plumis,  
 5 toto pectore rideamus omnes.  
 6 Salve magne Plato, magister Orbis,  
 7 dic : quid est Homo ? Gallus absque plumis.  
 8 Toto corpore prandeamus omnes.

V51\_4 v.1 Comere Musa comas iterum fuligine tersa  
 2 pulchrior. Ecce Plato nunc adeundus erit.  
 3 Quaeramus tumulos : certum est latitare sub uno  
 4 illum, qui natum scit reperire boni :  
 5 gallinaeque virum nudatum vertice cristas  
 6 exaequans homini, perdidit omne genus.  
 7 Siccine definis hominem Sophe Magne ? Platones  
 8 innumeros tales Atreus ipse vorem.

## SCAZON LI

V51\_5 v.1 Hic fertur esse maxumus Plato sittus  
 2 implumis. Viriliter lumbos.  
 3 Succinctus bipes mane.  
 4 Cantu peracto si momordit uxorem  
 5 laetus praeliator argutus.  
 6 Jejune lector, quid Platona derides ?  
 7 [LACUNE]  
 8 Assatus est homo iste : calcea dentes.

## QUID EST NECESSE HOMINI MAIORA SE QUAERERE. ECCLES. 7.

V52\_1 v.1 Natum Stagirae, gurgite  
 2 Euripus hausit alto.  
 3 Tunc passus Ar--les syncopen.  
 4 vitaeque nominisque,  
 5 muscas cadentes tutius  
 6 fixisset otiosus ;  
 7 quam quod maris reciproci  
 8 eventilarit aestum.

V52\_2 v.1 Pauper Aristoteles, quo non est ditius ullum  
 2 ingenium, mediis naufragus haesit aquis.

3 Fluctibus Oceani reflui lunaribus haustum,  
 4 altera Lethaei torsit arena vadi.  
 5 Quid miser aequorei tentat secreta profundi ?  
 6 Dilectae satius pensa tulisset herae :  
 7 quam quod in Euripo Maris indagaverit aestum.  
 8 Ille fit a luna percutiente caput.

V52\_3 v.1 Quicumque es, Palinure nauta, siste.  
 2 Hoc portu situs est sophus Sophorum,  
 3 scrutantem vada caeca curiose,  
 4 submersit Maris aestus ; estque passus  
 5 omnes tres capitis, periculoso  
 6 hoc in gurgite, deminutiones.  
 7 Unde Aristoteles prius, modo Arles.  
 8 Passim scribitur. Hic cinis quiescit.

V52\_4 v.1 Quaero Stagiritam. Frustra. Submersus in alto  
 2 dicitur infelix occubuisse mari.  
 3 Qua patuit, totum complexus pectore mundum,  
 4 debuit in Mundi parte perire sui.  
 5 Numquid non poterat culices mactare rotundos,  
 6 aut membra interea sternere sub platano ?  
 7 Tutius hoc, quam quo refluxum mare Cynthia cornu  
 8 arietet, erecto scire supercilio.

SCAZON LII

V52\_5 v.1 "Hic fertur esse nobilis Stagirita,  
 2 sepultus inter naufragos in Euripo.  
 3 Cujus timenda de fuga revertentis  
 4 quod sidus aurigaret improbos fluctus  
 5 cognosse tardus se submersit. "  
 6 Atqui sedenti profuisset, in cella  
 7 vultus manusve defricare verrucas.  
 8 Vah ! Texuisset vincla syllogismorum.

NON ENIM ERIT MEMORIA SAPIENTIS, SIMILITER UT STULTI IN PERPETUUM... ECCLES. 2.

V53\_1 v.1 Nunc cogitur quiescere  
 2 argutus Ambulator :  
 3 longaeque sessor Porticus  
 4 nolens volens jacere.  
 5 Labuntur altae tegulae,  
 6 et impluit Lycaeis :  
 7 nil praeter atras noctuas  
 8 Stoaе caverna nutrit.

V53\_2 v.1 Sic, quia non aliter fas est, a morte quiescit,  
 2 invitus non mors, sed dolet alta quies.  
 3 Sessores super ipsa suos, quam - longa recumbit  
 4 Porticus, immani pondere lapsa premit.  
 5 Aspicio lacrimans destructa Lycaea. Sub udo  
 6 impluvio, glacie septima bruma riget.  
 7 Unica culminibus laceris quae noctua mansit.  
 8 Aera jam penna liberiore secat.

V53\_3 v.1 Jam nullum videas Sophum sedere,  
 2 niti, currere, stare. Nempe Parcis

3 visum est esse quietius, jacere.  
 4 Zenones, Senecasque Cordubenses  
 5 involvit sua nunc abolla, fatum :  
 6 fatum, quod toties in ore, fatum,  
 7 aedes procubuere, noctis ales  
 8 incestat vaga Stoicas cathedras.

V53\_4 v.1 Exin docta vacant sacraria. Non nisi mulas  
 2 plurimas hac petaso mulio tectus agit.  
 3 Porticus exclusis sessoribus altera nutat,  
 4 altera cum truncis vestibuloque ruit.  
 5 Atria tristis hiems Academica subruit imbri.  
 6 Templata tegunt decimae Palladis alta nives.  
 7 In qua certavit sapientia mitibus armis,  
 8 nunc est bubonum facta palaestra specus.

SCAZON LIII

V53\_5 v.1 Quid de Lycaeis Ambulantium longis  
 2 Academicorum, pulpitoque clamoso ;  
 3 quid de proseuchis, exedrisque famosis,  
 4 haraque docta, deque terminis artis ;  
 5 quam vile Blictri mansit atque Scindapsis ?  
 6 Verba absque sensu, nucleo nuces cassae.  
 7 Ubi noctuarum Diva sola regnabat,  
 8 vah ! noctuarum sola natio regnat.

UBI EST LITTERATUS? UBI LEGIS VERBA PONDERANS? UBI DOCTOR PARVULORUM? ISAI. 33.

AD TEXTUM.

V54\_1 v.1 Sequentur istos caeteri :  
 2 sunt plurimi secuti.  
 3 Justinianus Bartholus  
 4 Baldusque [lector] debes.  
 5 Et [lector] Vasa collige,  
 6 citaris.  
 7 Seu replicent, seu triplicent,  
 8 coguntur ad tribunal.

V54\_2 v.1 Hoc habet, exclamas, tandem deleta Vetustas ?  
 2 Hoc quoque tu, clamat, tectus habebis humo.  
 3 Bartholus et Baldus, consulti numina juris,  
 4 funereo pressi marmore, numquid habent ?  
 5 Vade : sedet praetor. Sed Zasius excipit unctus.  
 6 Excipiat dicto vade vadate die.  
 7 Aperimente (nota verbum) Perimende citaris.  
 8 Nosti, quid strictum Jus velit ense sibi.

V54\_3 v.1 Omnes, quos gravis occupavit hora,  
 2 vel muti tamen insonant : sequeris.  
 3 Expertis habeas fidem Robertis.  
 4 Clamant causidici duo forenses,  
 5 Baldus, Bartholus, et mori, esse juris  
 6 naturalis, et insiti cuique,  
 7 scriptis ex titulis probant sepulcri.  
 8 Quod Jus non abolet novella, firmat.

MONIMENTUM.

V54\_4 v.1 Posteritas : sic te Manes affantur in urna.  
 2 "Quidquid es, hoc fuimus ; quod sumus, illud eris.  
 3 Bartholus et Baldus, Baldusque et Bartholus " (istos  
 4 misce, utcunque voles) jam subiere scrobem.  
 5 Jus sanis prodest. Moriturum nulla tuentur.  
 6 Fata vocant : Naso ducere Fata nequis.  
 7 Ah ! valde modice studuisti in codice juris :  
 8 si nescis, quod lex prima sit ista, mori.

SCAZON LIV.TITULUS.

V54\_5 v.1 Ita est. Sequemur. Posteris praeiverunt  
 2 Justinianus, Ulpianus, et Baldus  
 3 profundus urinator aequoris legum.  
 4 Fuere. Ne se nobilis crepet doctor  
 5 titulosque jactet. Namque sive IUD scribat,  
 6 seu Vid. Duive, vel diu diu nemo  
 7 evasit ictum. Tune primus evades ?  
 8 Vah ! funerales nescit iste Pandectas.

FRUSTRA MULTIPLICAS MEDICAMINA. SANITAS NON ERIT TIBI. IEREM. 46.

V55\_1 v.1 Hippocratem, qui virgulae  
 2 morbos abegit alba.  
 3 Tabum vomentem denique  
 4 delusit ars medendi.  
 5 Tectus cupressis lugubri  
 6 componitur Machaon :  
 7 Galenus herbam porrigit,  
 8 et dicit : haec fefellit.

V55\_2 v.1 Cur non Hippocratis Coi monumenta revolvis ?  
 2 Quem rex Persarum credidit esse Deum.  
 3 O numen ! Cujus nunc est vespillo sacerdos,  
 4 sarcophagus templum, tus humus, ara cinis.  
 5 Quis potuit medicas numerare Machaonis artes ?  
 6 Nulla tamen summam depulit herba malum.  
 7 Fatali lecto defixus membra Galenus,  
 8 ingemuit moestis flebilis usque modis.

V55\_3 v.1 Qui radicitus est in arte doctor,  
 2 is radicitus interisse dicat  
 3 omnes Hippocrates Machaonasque.  
 4 Hausto mandragorae satur veneno,  
 5 gustavit cerebrum Cati Galenus,  
 6 mox praeceps datus esuo cerebro,  
 7 exesto medicina. Quando nullum  
 8 erat millibus ulla juvit herba.

V55\_4 v.1 Si quisquam instantis vim leti evadere posset,  
 2 hic foret Hippocrates unicus unus homo.  
 3 Num potuit ? Non si Mundi totius in herbas  
 4 Natum vertisses arte, Epidaure, tua.  
 5 Tentarunt eadem Podalirius atque Machaon,  
 6 quique dat ex medico fonte Galenus opes.  
 7 Mors tamen hos omnes irrisit dentibus albis :  
 8 quae cum tela manu vibrat, ait : recipe,

## SCAZON LV

V55\_5 v.1 Ad pharmacorum pyxides senem Coum,  
 2 quamquam tyrannum mortis, ultimo morbe  
 3 nec gentiana, nec papaver admorsum,  
 4 nec castus Agnus, nec malagma sanavit.  
 5 Fatis Machaon obsequi reluctatus,  
 6 parere tandem debuit, vel invitus.  
 7 Et Pergamenum calda febris exhaustit.  
 8 Vah ! Qui mederis ulcus et tuum cura.

## QUAE AUTEM IN CAELIS SUNT, QUIS INVESTIGABIT? SAPIENT. 9.

V56\_1 v.1 Caelum senis crystallinum  
 2 casus, puerque fregit ?  
 3 Iniqua cura siderum  
 4 oppressit Archimedes.  
 5 Copernici deliria  
 6 sunt involucra gypsi.  
 7 Quid hoc ? Jacet Copernicus,  
 8 tellus stat, astra currunt.

V56\_2 v.1 Forte Mathematico datur indulgentia vitae,  
 2 astra Syracosio qui dedit ire Polo.  
 3 Occubuit cum sideribus, quae plurima vitro  
 4 fixit, et exhibuit de nive nata silex.  
 5 Quid scripsisse juvat ; si quidquid scripserit umquam  
 6 non nisi in Astronomo creditur esse furor ?  
 7 Jamque putem nimium tibi stare Copernice soles,  
 8 soles sunt oculi, nunc sine luce, tui.

V56\_3 v.1 Qui caelum vitreum polosque finxit,  
 2 astrorum moderator Archimedes,  
 3 fatali revolutus ex Olympe,  
 4 in vallem cecidit nimis profundam.  
 5 Quae systemata sunt Copernicana,  
 6 (o ! systemata quae Copernicana !)  
 7 vel librarius allinit papyro ;  
 8 vel fiunt piperis breves cuculli.

V56\_4 v.1 Credis ? In exiguo fragilique natantia vitro,  
 2 Astra Syracosio sunt famulata seni.  
 3 Quale tamen caelum, quod fracto illabatur axe ?  
 4 Qui periit, qualis conditor ille fuit ?  
 5 Credis et hoc ? Stellae terebrare Copernicus ausus  
 6 occidit, in paucis prodigiosus homo.  
 7 Quaero ego : cur sol stet ; quia mente sub audio fixum,  
 8 mobile sit fixum, dicit, ohe ! doleo.

## SCAZON LVI

V56\_5 v.1 "Hic Archimedes vulneratus a stellis  
 2 quas in vitro frenare moliebatur  
 3 jacet. Audebat  
 4 comosse mundum velle.  
 5 Hic postus est Copernicus. Satis dixi.  
 6 Terram moveri stare credidit Solem.  
 7 Narra hoc viator ceteris et ignosce.



8 Si forsan esses biliosior, dic vah !

SAPIENS TIMET ET DECLINAT A MALO : STULTUS TRANSILIT ET CONSIDIT. PROV. 14.

- V57\_1 v.1 Haec qui legis, cur ringeris ?  
 2 Longosque rodis ungues ?  
 3 Nimis tibi confidere,  
 4 Narcisse mi, videris :  
 5 si nec movebunt funera  
 6 praemissa tot Virorum ;  
 7 semperque stare contumax  
 8 speras cadente Roma.
- V57\_2 v.1 Fallor : an iratum lectoris sentio vultum ?  
 2 Et fluit in torvas frons caperata notas ?  
 3 Imbellis certe Phrygiaque exclusus in Ida,  
 4 seu Narcissus erit, sive Hyacinthus erit ;  
 5 qui puer, ad plures cum jam praecesserit agmen,  
 6 mota virum dubitet Martia castra sequi.  
 7 Roma caput Mundi cecidit, cecidere Gigantes ;  
 8 et tu consistes pumilione minor ?
- V57\_3 v.1 Iras comprime, delicate lector ;  
 2 ne nos despue, ne precare diras.  
 3 Quod decerpsimus ex virente lauro,  
 4 Tu vatis folium puta Sibyllae  
 5 regnorum datur et videtur aetas.  
 6 Regum vix datur et videtur aestas.  
 7 Si ne Roma quidem fuit perennis,  
 8 casum nemo potest queri casarum.
- V57\_4 v.1 Vapulo censuris. Damnamur pollice presso.  
 2 Semicaper lato Zoilus ore furit.  
 3 Quid palles, frontique minax irasceris ictae ?  
 4 Tamne tibi videor, Mome, fuisse Cato ?  
 5 Tu levior concha, tenero tu mollior haedo,  
 6 jam desperato solus in Orbe sapis ?  
 7 O turtur ! Romae et Phrygibus durare negatur,  
 8 et tu, cum Mortis venerit hora, gemes ?
- SCAZON LVII
- V57\_5 v.1 Quis ? Momus anne Amomus, hic mihi nasum  
 2 ciet sagacem ? Quid fremit ? Quid os foedum  
 3 inspicat instar alitis peregrinae ?  
 4 Narcisse votis impotenter inflate,  
 5 quid indecoro maceras metu pectus ?  
 6 Urbs (Orbis inquam) casibus suis strata est.  
 7 Tu perseveres ? Sic sciure te mulces ?  
 8 Vah ! molle scrofae sumen, albe porcelle.

QUI PONITIS FORTUNAE MENSAM, ET LIBATIS SUPER EAM... ESAI. 65.

- V58\_1 v.1 Tu solus ovi Castoris,  
 2 matrisque pullus albae ?  
 3 Parcas ut optes parcere ;  
 4 Fatum retro moveri.

- 5 Fidum videtur improba  
6 fortuna numen esse ?  
7 Cujus rotam vel fimbriam  
8 Astratus osculeris.
- V58\_2 v.1 O formose Puer, Ledaeo nate cubili,  
2 digne supra nubes cum Ganymede rapi.  
3 Jam jam Fata tibi cedent : quaesivimus unam  
4 Parcarum, an vellet parcere ; dixit : ita.  
5 Plaudit ad haec Mopsus, sua nec ludibria sentit,  
6 fortunaequae dolos ingeniumque leve.  
7 Quid video ? Supplex etiam lachrimisque refusus,  
8 ejus odoratos imbuit ore pedes.
- V58\_3 v.1 Thersites, animose mi puella,  
2 formosissime, belle mi puella,  
3 quot sunt, quotque fuere, eruntque belli  
4 Thersites ; animose mi puella,  
5 dic : Parcas quia nam petas faventes ?  
6 Et solus. Quianam ? Deinde asellus  
7 fortunae, quianam fricas asellam ?  
8 Heu, frustra scabis. Ista moecha fallit.
- V58\_4 v.1 Scilicet hic, ipse, ille, iste est Salapusius atrox,  
2 in gremio Matris natus Acidaliae.  
3 Sane. Cur Lachesis tibi non sapphirina ducis  
4 stamina, gemmata deproperanda colu ?  
5 Dic age : Fortunae credis tria verba sequenti ?  
6 Atqui ego mentiri credo, licet taceat.  
7 Sed neque more tuo curvus procumbo velut bos,  
8 nec lenae plantas osculor, ungo, lavo,
- SCAZON LVIII
- V58\_5 v.1 Encolpe Phoenix, et Cupidinis frater,  
2 alter Paris, parisque frontis ac oris,  
3 qua fronte, quo, dic, ore Fata contemnis ?  
4 Poscas ab illis dulce saccarum, myrrham  
5 offerre suetis ! Ecce supplicabundus  
6 stas in lacerna limen ante Fortunae ;  
7 gemis tremisque, splendideque mentitis.  
8 Vah ! vile numen provolutus inceras.

ET ECCE OCCURRIT ILLI MULIER ORNATUS MERETRICIO... PROVERB. 7.

- V59\_1 v.1 Insane ! Qui te sustines  
2 ab hac Dea peruri.  
3 Adultera te mancipas,  
4 quae pejerare novit ;  
5 procisque noctes ebrias  
6 torisque jura vendit.  
7 O ! quot proterva principes,  
8 uxorios fefellit.
- V59\_2 v.1 Quin potius furca demens expellis amores ?  
2 Quos levis in caeco pectore Diva parit.  
3 Pulchra tibi conjux (si diis placet) atque pudica  
4 obtigit. Et numquam fallere docta virum.

5 Quam timida et mitis ! Quam non scelerata ! Marito  
 6 nam violare fidem, non putat esse scelus.  
 7 Totus ei Mundus patet, ut commune lupanar.  
 8 O ! quot in hoc regum concutit illa toros.

## VATICINIUM.

V59\_3 v.1 Quaero : siccus es, an mades adusto ?  
 2 Aut fortuna procax tibi vorandum  
 3 insano leporem dedit marinum ?  
 4 Ah ! cur uteris igne tam doloso ?  
 5 Hanc te ardere Deam ? Jugum recusat,  
 6 praedico : meretricis es maritus.  
 7 Messalina nihil veretur aera  
 8 noctu poscere, et advocare servum.

## EPITHALAMIUM.

V59\_4 v.1 Anticyris dignum caput est, cui femina pellex  
 2 in sponsam, et Thais vendita serva placet.  
 3 Hymen, o hymenae, Hymen, Hymen, o hymenae !  
 4 Duxisti uxorem : civibus, anne tibi ?  
 5 Nempe mihi, dicis. Sed non hoc dicit Agyrta ;  
 6 qui cum Fortuna dormit, amice, tua.  
 7 Cornutos etiam reges facit ista capella,  
 8 auriculasque sui donat habere Midae.

## SCAZON LIX

V59\_5 v.1 Attende Dave. Non licet bis errare,  
 2 quam ducis ? Istam ? ludiam, levem, caecam ?  
 3 istam ? Dolosam per fidamque Fortunam ?  
 4 Quae purpuratos polluit toros ! Istam ?  
 5 Catulire pernox perdiusque consuevit ;  
 6 panditque cuivis fornicem ; papillarum  
 7 multum proterva nudat, haud minus mortis.  
 8 Vah ! quot venustum regna perdidit scortum !

## FALLAX GRATIA ET VANA EST PULCHRITUDO. PROVERB. 31.

V60\_1 v.1 Tot ora nunquam Proteus  
 2 deponit et resumit !  
 3 quot ipsa vultus Punicos  
 4 permutat et refingit.  
 5 Cum Phosphoro quae Tyndaris,  
 6 et natis expolitaе,  
 7 sub Hespero fit turpior  
 8 anu canente lessum.

V60\_2 v.1 Quid facias ? Frontem quae non habet, accipit omnes.  
 2 Oris inops, nunquam non satis oris habet.  
 3 Dependas licet in facto, peccasse negabit.  
 4 Visa tibi dicet : forsitan illa fuit.  
 5 Adde : quod [et disces ex solo nomine monstrum]  
 6 ut bifrons Janus, sit tua Jana biceps.  
 7 Vultibus e geminis tantum unus mane videndus.  
 8 Namque uno, non est turpior in capulo.

V60\_3 v.1 Quidquid Dalila Dalilae ; Neaere  
 2 aut fallacis habet Neaera fallax :

3 hoc fortuna libidinosa totum est,  
 4 vultu, pectore, fraudibusque comptis.  
 5 Et Circen Thymelenque vincit ore,  
 6 transmutans meretricios colores.  
 7 Alter Proteus : hoc die venusta,  
 8 Maura foedior altero perusta.

## MYSTERIUM.

V60\_4 v.1 Hoc quoque scire juvat : Portumna est, quae tibi nupsit  
 2 et tot habet vultus, quot nova Luna, novos.  
 3 Utque simul speculo diversa videntur in uno,  
 4 plurima sic una fronte videnda gerit.  
 5 Vis Nioben ? Dura est. Vis pulchram ? Tyndaris ipsa est !  
 6 Certantemne viris ? Mox erit Andromache :  
 7 et tibi certabit nimium, velletque capillos.  
 8 Hirce : feres turpem litigiosus anum.

## SCAZON LX

V60\_5 v.1 Fortuna non fidelis est, ut Evadne,  
 2 aut Sisygambis. Sumit omnium vultus  
 3 ponitque ! Fallax, ambi dextra, communis.  
 4 Hac dote nubit annulum maritalem  
 5 donat vel hosti, nec rogata, te cornu  
 6 ingens ferente, quale vir gregis simi.  
 7 Cerrite, moechae non notas tuae naevos ?  
 8 Vah ! quale pingit nux cadaver ! O stacte !

## AVERTE FACIEM TUAM A MULIERE COMTA. ECCLI. 9.

V61\_1 v.1 Oblata labris basia  
 2 luctantibus recusa.  
 3 Et si rogaret millies,  
 4 tu millies recusa.  
 5 Quae verba fingit sesamo  
 6 dulcique plena melle,  
 7 credas cerassae toxico  
 8 flavoque sparsa felle.

V61\_2 v.1 Mitte igitur thalamum, et noli pro dote pacisci,  
 2 suaviaque opposita pelle dolosa manu.  
 3 Quin vultum quoties invitat ad oscula, dorsum  
 4 obverte, et pedibus protere vota lupae.  
 5 Rhetoricam nosti, quae sit tibi verba datura ;  
 6 aurea cumque tropis, byssina cumque favis ?  
 7 Aurea ? Sed ferrum, sed plus quam ferrea verba.  
 8 Byssina ? Sed crassus sunt, mihi crede, rudens.

V61\_3 v.1 Quo vesane ruis ? Resiste scorto.  
 2 Cerussata puella non omittet  
 3 causas quaerere basiationis.  
 4 Palpabit, mihi crede. Complicatis  
 5 prostans oscula porriget labellis :  
 6 promissura rosas thymumque mellis ;  
 7 manatura nigri palude fellis ;  
 8 o ! quae basia, qualibus labellis !

V61\_4 v.1 Et statuis tali dominae servire maritus ?

2 Probraque suaviolo conjugis empta pati !  
 3 Si me non spernis, spernes meretricis amatae  
 4 oscula : nec pretium, nec patiēre preces.  
 5 Mella quidem loquitur, blandisque incesta perorat  
 6 ignibus atque oculis, lena diserta, suis.  
 7 Tu tamen haud fidas : ignes, sunt frigora Thracum ;  
 8 Noctua sunt oculi ; melque venena merum.

## SCAZON LXI

V61\_5 v.1 I nunc, et osculare publicam Larvam,  
 2 regumque sputis basiisque foetentem.  
 3 Raptos ocellos (orba propriis) furto  
 4 vibrabit, emulgere suavium docta.  
 5 Sed tu resiste, si sapis sed infringe  
 6 exercitatum lubricis genis palmam.  
 7 Ne verba credas, quae dat, esse mei, fel sunt.  
 8 Vah ! alveari quantus incubat fucus.

EST MALUM, QUOD VIDI SUB SOLE, QUASI PER ERROREM EGREDIENS... ECCLE. 8.

V62\_1 v.1 Rufinus hoc expertus est,  
 2 et consul eviratus.  
 3 Byzantio proscribitur ;  
 4 statuāe trahuntur unco.  
 5 Finguntur ex his urcei,  
 6 strigilis, patella, pelvis.  
 7 Eunuche : nunc es usui  
 8 in omnibus tabernis.

V62\_2 v.1 Hoc quoque Rufinus monstrum testatur Eoum,  
 2 Eutropiusque spado, consule major anus.  
 3 Quae Byzantini timuerunt numina cives,  
 4 mox Byzantinae diripuerunt manus.  
 5 Laurigeri solvunt statuas incendia servi.  
 6 Fit scyphus aut forceps, quod fuit ante caput.  
 7 Apponens leporem fors hospes dixit : "Amici,  
 8 haec patera Eutropius semivir ante fuit."

V62\_3 v.1 Constantinopolim petamus. Aulam  
 2 pulso. Phosphore, nonne consulares  
 3 vidisti trabeasque purpurasque,  
 4 ad sordes et ad incitas redire ?  
 5 Rufinum, Eutropium quid interemit ?  
 6 Fortunae, puto, non modestus usus.  
 7 Eunuchi facies in aere visae,  
 8 sellas olfaciunt Patroclianas.

VERTUMNI.

V62\_4 v.1 Ut sileant alii, satis hoc Rufine loquaris.  
 2 Tuque sub Arcadio Caesare, serve potens.  
 3 Vilis uterque prius, sed uterque ad summa levatus.  
 4 Quantus uterque fuit, tantus uterque ruit.  
 5 Lictor adoratos, simulacra argentea, vultus  
 6 fregit, et effigiem solvit in igne sacram.  
 7 Massa coit, flagrant oculi, liquefactaque sudant  
 8 membra, metalla fluunt. Cuditur hinc matulae.

## TALIO. SCAZON LXII

V62\_5 v.1 Hoc est, Eoi caeca quod dedit pessum  
 2 portenta Mundi. Te sceleste Rufine,  
 3 te serve nequam, te marite castrate,  
 4 Princeps spadonum, qui regentis Aurorae  
 5 ipsum regebas fraudulentus aurigam.  
 6 Sed nuda demum paene terga discerptus,  
 7 aes vultuosum conflagrare sensisti.  
 8 Vah ! ipse consul fascibus tuis caesus.

VIR VANUS IN SUPERBIAM ERIGITUR, ET TANQUAM PULLUM ONAGRI, SE LIBERUM NATUM PUTAT. JOB. 11.

V63\_1 v.1 I, curre demens Hannibal  
 2 ex Africa per Alpes.  
 3 Rupes aceto divide,  
 4 perfringe claustra brumae.  
 5 Quam copiam Cannensium  
 6 praedaris annulorum :  
 7 pensabit unus annulus,  
 8 ex quo bibes venenum.

## NEMESIS.

V63\_2 v.1 Hannibalem mirare ducem. Per vasta cucurrit  
 2 aequora, perque Alpes inviaque antra feris.  
 3 Non cursum tardavit hiems, non vortice torrens  
 4 spumeus, annosae nec tria lustra nives :  
 5 Italiam intravit ; discerpsit viscera Romae ;  
 6 submersit Cannas sanguine de Venere.  
 7 Quid tam nex spoliis collegit equestribus ? Aurum :  
 8 ex quo tot lacrimas Fata, Stygemque bibit.

V63\_3 v.1 Quid se laetius Hannibal cruentus  
 2 ad Cannas Trebiamque vidit umquam ?  
 3 Audaci nihil invium. Reliquit  
 4 a tergo fluvios, subegit Alpes ;  
 5 exanguis tremefecit ora Romae,  
 6 et portam stetit Afer ad Capenam.  
 7 Fortuna, heus aperi. Quid ipsa ? Maurum  
 8 irridens. Parat interim sepulcrum.

V63\_4 v.1 Quid Libyae catulus, soboles animosa leonis  
 2 Hannibal Hannibal ? Hic. Italiam ! Italiam  
 3 per mare, per scopulos petit, excisasque per Alpes ;  
 4 saxaque durato conglaciata gelu.  
 5 Jamque tenet Cannas, metitur Romana juvenus ;  
 6 pingues sanguinea caede lavantur agri.  
 7 Annulus impletur modiis ; Capitolia nutant  
 8 summa : peri Victor. Sume venena, peri.

## SCAZON LXIII. ALLEGORIA.

V63\_5 v.1 Getulus Alpes invias penetravit,  
 2 ubi nivosis in jugis hiems dormit  
 3 truditque somno congelata crystallum.  
 4 Carthaginensis ductor hanc aceti vi  
 5 expergefecit ; transiensque plorantem  
 6 Rhodanum Padumque, victor ivit ad Cannas ;

7 et annulorum praedo repperit messem.  
8 Vah ! et venenum magnus exsul invenit.

VIDI SERVOS IN EQUIS; PRINCIPES AMBULANTES SUPER TERRAM QUASI SERVOS. ECCLE. 8.

V64\_1 v.1 Dat colla loris nauticis  
2 torquatus ante miles.  
3 In insulam detruditur  
4 dictatore curuli.  
5 Fixa sub hasta veneunt  
6 et Persicae tiarae.  
7 Inscripta frons fert literam,  
8 quae fasciam ferebat.

STIGMA.

V64\_2 v.1 Esto : hodie clavum teneas in puppe Senatus ;  
2 cras quid agas ? Remos forte triremis ages.  
3 Esto : hodie sella super ora vehare curuli ;  
4 cras quid eris ? Gyaris forsitan exsul eris.  
5 Mutatur toties fulvum diadema lupato !  
6 Infami laqueo murice tincta toga.  
7 Frontibus in mediis famosum Kappa legetur,  
8 in quibus ardebat lucida gemma prius.

VICES.

V64\_3 v.1 Ludus luditur iste, qui triumphat,  
2 cras ductus ferietur in triumpho.  
3 Hic, qui squammeus ardet in metallo,  
4 cras damnabitur ad metalla fossor.  
5 Carus regibus, et levatus altum,  
6 cras (a legibus) altius levatur.  
7 Per quam taenia multiplex cucurrit,  
8 frontem lamina signat atra servi.

COTHURNUS.

V64\_4 v.1 Saepe adeo videas captivum ducere remos,  
2 qui nuper niveis victor ovabat equis.  
3 Currum ascensuro dorsum inclinare saporis ;  
4 regis ebur, populi quem super ora tulit.  
5 Vertice de summo gladium pepulisse coronas,  
6 purpureos truncos immaduisse mari ;  
7 vittatumque caput, turpi sub fornice rasum,  
8 crines servitii prostituisset notis.

SCAZON LXIV

V64\_5 v.1 Vidi camelis taureisque nautarum  
2 occalluisse dorsa purpuratorum.  
3 Vidi repente per Gemonias scalas  
4 cervice fracta dejici magistratus.  
5 Vidi Dynastas corrogare pannosos  
6 humi trientem, frusta pannis in ponte.  
7 Vidi tyrannos ambulare cum sacco  
8 per civitatem. Vah ! in horrido cippo.

VENIET TIBI QUASI VIATOR, EGESTAS, ET PAUPERIES, QUASI VIR ARMATUS. PROVERB. 6.

V65\_1 v.1 Hic ille Belisarius  
2 confessus a triumphis.  
3 Castrense mendicabulum,  
4 mundique caecus exsul ;  
5 bellator ante strenuus ;  
6 [LACUNE]  
7 si vel scobem porrexeris,  
8 hac sportula beasti.

EXOMOLOGESIS.

V65\_2 v.1 Ille ego spectatis dux Belisarius armis,  
2 victor Vandalicos cum popularer agros ;  
3 Oedipodioniae patior contagia noctis,  
4 atque Erisichthoniam (qualia monstra !) Famem.  
5 Per Superos mediosque precor : donate trientem  
6 semineci ; si qua est gratia, siqua fides.  
7 Quae gula sexcentis steterat pavonibus olim ;  
8 non habet, unde Ceres mucida possit emi.

V65\_3 v.1 Quem cernis vacuo rigere vultu,  
2 effossisque oculis pati tenebras ;  
3 et scissa miserabilem lacerna,  
4 dextram porgere nummulum daturus ;  
5 semesaeque cucurbitae caverna  
6 ad micas titubare colligendas :  
7 Belisarius est, an ille, qui se,  
8 qui Thracas Libyamque vicit ? Ipsus !

V65\_4 v.1 Huc ventum est. Audet jam Belisarius ossa  
2 rodere, relliquias sollicitante manu.  
3 Audeat et scabiem putris mordere polentae,  
4 illecebrasque vocet, passeris exta, suas !  
5 Duc canis ad portam. Dabitur stips altera caeco.  
6 Caeco ! qui quondam sol tibi, Roma, fuit.  
7 Ecce triumphator Gotthorum nobilis, ipsam,  
8 si satiet, patulo devoret ore famem.

SCAZON LXV.DIALOGUS.

V65\_5 v.1 Quis iste clamor pertinax quiritantis ?  
2 Rex vive. Belisarii ducis. Cujus ?  
3 Bis subjugantis Africam, quater Gotthos.  
4 Quid poscit ? Aera. Pauper ? Irus ad restim  
5 miser redactus : orbibus cavis noctem  
6 Mortemque portat lacrimosa quis fronti  
7 subduxit astra ? Carnifex ducum, livor.  
8 Vah ! paenulatus Imperator in turba.

CECIDIT CORONA CAPITIS NOSTRI. IN THREN. C. 5.

V66\_1 v.1 Magni superbus Flavii  
2 Ablavius dynasta ;  
3 ibat verendis Caesarum  
4 sublimior quadrigis.  
5 Sed valle mox depressior  
6 contaminavit enses ;



7 discerptus instar Marsyae  
8 in mille frustra caesi.

V66\_2 v.1 Te quoque stultorum lepidas auxisse choreas,  
2 Ablavi, in paucis ambitiose, ferunt.  
3 Namque ubi collegit se Constantinus in astra.  
4 Diceris heredi praeripuisse patrem.  
5 Diceris Ausonia clangens super Urbe volasse.  
6 Diceris aurifluas explicuisse comas.  
7 Diceris et gladiis cecidisse, ut victima sectus.  
8 Et jam fortunae diceris esse pila.

ETYMON.

V66\_3 v.1 Pro ! quis purpuream vomit sub Orcum  
2 infrendens animam ? Novusne Pentheus  
3 membratim laniatur ? Anne Constan-  
4 tini pullus ovans, et alter ipse ?  
5 Si primus quia Caesar ense caesus,  
6 hoc a Caesare Caesares vocantur :  
7 Ablavi, tibi nullus invidabit  
8 nomen. Caesus es : ergo Caesar. Esto.

V66\_4 v.1 Delicias hominis ! Romanum Ablavius ostrum,  
2 bifrontesque sacri fulminis ambit aves.  
3 I puer infelix ; i Simia Constantini.  
4 Indue Caesaream caesariate togam,  
5 induit ; et longis resonat singultibus aurum.  
6 Poplitibus subito tota sit aula minor.  
7 Vix ea : cum strictis coeunt mucronibus enses  
8 in jugulum. Hoc punctum est, gloria saeva, tuum.

SCAZON LXVI

V66\_5 v.1 Terebo Lauri, purpuraeque bis tinctae  
2 (semel tuo cruore) blatta, pomique  
3 regalis, imperique vermis, Ublavi :  
4 quid Flaviana sceptrum mollis affectas ?  
5 Vesane regna punieris a voto.  
6 Poena est, quod optas. Irruit repens miles,  
7 et ludibundi Caesaris secatur collum.  
8 Vah ! Improborum resque spesque decollant.

CONVERSA EST IN LUCTUM CITHARA MEA. JOB. 38.

V67\_1 v.1 Fortuna ludit musicis,  
2 ut est perita, chordis.  
3 Nunc fila tendit pollice,  
4 nunc laxat et remittit ;  
5 irata mox testudinem  
6 allidit ad sepulcrum,  
7 hinc flebilis symphonia,  
8 ululatus Aulicorum.

V67\_2 v.1 Dulce canens Siren (sed non in noxia Siren)  
2 Fortuna has proprio ludit in Orbe vices.  
3 Personat in sidibus scissis e tergore regum :  
4 hi sunt delirae mollia fila lyrae.  
5 Hos ferit, hos digitis subigit, versatque micatque,

6 non aliter cithara quam, Geta docte, tua.  
 7 A cantu molli sensim tolluntur in altum :  
 8 in durum lapsu mox graviore ruunt.

MUSICA REGIA. CANTUS DURO.

V67\_3 v.1 Et fortuna suas habet camoenas.  
 2 Audi. Quid Philomela caeca rudat.  
 3 Bellator Gilimer solutus armis,  
 4 sublato fa favore, rex ab aula  
 5 la lapsus fa facit theatra Mimi  
 6 mire mirifici famelicique.  
 7 Infami misere labore lasso  
 8 da panem, Citharamque, spongiamque.

V67\_4 v.1 Salve Fortuna insignis citharistria regum,  
 2 quae tot delicias ingeniosa facis.  
 3 Ludere par impar, dextreque errare sinistra  
 4 diceris, in fidibus mobilis, inque fide.  
 5 Suaviter ordiris, sed primum in fine notabit  
 6 Vespillo, cujus coepta sit oda toni.  
 7 Tympana quin etiam surgens heroica pulsas ;  
 8 dent modo, quam tundas, aulica terga cutem.

SCAZON LXVII

V67\_5 v.1 Nonne Aulicorum vita, mira testudo est ?  
 2 Canunt et ipsi ; flebilemque Fortuna  
 3 lessum gubernat tristibus notis, pausis  
 4 gradibusque scalae musicae quot ex illa  
 5 cecidere ! Sunt et crebriora servanda  
 6 suspiria eheu ! Fila temperant Parcae :  
 7 quae verberentur, verberata rumpantur.  
 8 Vah ! aulicorum vita, mira testudo.

EXCELSA QUOQUE TIMEBUNT ET FORMIDABUNT IN VIA. ECCLE. 12.

V68\_1 v.1 Quae summa sunt, mox concidunt,  
 2 et rursus ima fiunt.  
 3 Dejecta vidi surgere,  
 4 vidi suprema labi.  
 5 Sternuntur alta culmina,  
 6 non alta proteruntur.  
 7 Minora sponte corruunt,  
 8 majora vi premuntur.

V68\_2 v.1 Prociduas strages et lapsum summa minantur,  
 2 ut nunquam prona mons sine valle fuit.  
 3 Saepe casa in turrim modulante Amphione crevit,  
 4 inque vicem turris montibus aequa ruit.  
 5 Eximium nihil est. Praecepta excelsa feruntur,  
 6 planitiem pedibus ludicra turba ferit.  
 7 Parva suo strepitu rumpunt at busta cicadae.  
 8 Magna ferox circum - Sarmata - ventus agit.

V68\_3 v.1 Stent praesepia firmiora rupe :  
 2 securum nihil est. Periculose  
 3 cerae remigio secabis auras.  
 4 Hic rerum modus est : cadunt caducae,

5 et vel summa ruunt palatiorum,  
6 vasto turbine quassa, cum fragore.  
7 Viles attegias et involucra,  
8 sputum proterit Aeoli jocantis.

V68\_4 v.1 Fama est, in summis habitare pericula summa  
2 nubibus, et casus altius ire polo.  
3 Vidi, qui factus fuerat de rhetore consul,  
4 et factus qui de consule rhetor erat.  
5 Invidia pallent miseroque timore dynastae :  
6 verna humilis, poenae est jam satis ipse sibi.  
7 Pygmaeo grus bella movet, tollitque per auras.  
8 Tota Gigantaeum degravat Aetna caput.

SCAZON LXVIII

V68\_5 v.1 Quid vis in altum gloriosus extolli  
2 rorisque trochleisque candidatorum ?  
3 Labere. Prudens mitte celsa sectari.  
4 Honore fultum saepe corrui pegma.  
5 Domino cadente, saepe servus ascendit.  
6 Vis alta, sternit alta ; magna, vis magna.  
7 Majora, major ; parva, quidquid occurrit.  
8 Vah ! supra et infra, pone et ante torquemur.

RECORDARE DOMINE, QUID ACCIDERIT NOBIS INTUERE ET RESPICE OPPROBRIUM NOSTRUM. IN THREN. JEREM. 5.

V69\_1 v.1 Ad nostra transi tempora  
2 tot luctuosa Fatis ;  
3 Prorsus nihil Saturnia,  
4 ferroque duriora.  
5 Quam lubrica vertigine !  
6 Europa sola nutat  
7 collisa regna mutuo  
8 quales furunt furores !

V69\_2 v.1 Qui tantum ex voto credit nos fingere, retro  
2 ad nostros soles mentem oculosque ferat.  
3 Quos neque Saturnos rutilos, neque Juppiter albos,  
4 sed nigrat Mavors ferreus esse dedit.  
5 Sidoni, Teutonico quateris miseranda tumultu.  
6 Sidoni, quam malle a bove rapta vehi !  
7 Sidoni, cerritas peperisti Europa puellas.  
8 Ecce fremunt raucis omnia regna tubis.

V69\_3 v.1 Jam quid ferrea nostra clamat Aetas ?  
2 Clamat Stentoris ore : quis vel unum  
3 Saturni meliore de moneta,  
4 prisca temporis aureum reducat ?  
5 Europen, nisi bos amatus olim  
6 portet trans maris ultimi recessum ;  
7 submerget rapido procella fluctu,  
8 et mors obruet atra, Marsque luctu.

V69\_4 v.1 Transeat ad nostris famosum luctibus aevum,  
2 qui queritur falso nos, nimiumque, queri.  
3 Praemoneo : tantum non aurea secula speret.  
4 Ferrea sunt. Ferro ferrea tota rigent.

5 Eheu ! In terram refluis Europa capillis  
 6 ambulat, et versos tendit ad astra pedes.  
 7 In se regna ruunt, totos jaculantia montes.  
 8 Non alius Lapithas traxit in arma furor.

## SCAZON LXIX

V69\_5 v.1 Tardus moveri, qui negabit, inquirat,  
 2 aevique nostri discat experimenta.  
 3 Ubi nulla flavis mella murmurant bullis,  
 4 frugesve tellus non arata producit.  
 5 Nec uva gemmas lacrimatur injussa.  
 6 Aurove silvae praegravantur et nutant.  
 7 Sed tota ferro cincta saevit Europe,  
 8 ah ! in parentem [regna] filiae surgunt.

## PLORANS PLORAVIT IN NOCTE, ET LACHRYMAE EIUS IN MAXILLIS EIUS... THREN. 1.

V70\_1 v.1 In unica Germania  
 2 quid defuit malorum ?  
 3 Quam mira lustris quattuor  
 4 vicissitudo torsit.  
 5 Nudata dorsum vapulat  
 6 immanibus flagellis :  
 7 suique plorat naufraga  
 8 in sanguinis procellis.

V70\_2 v.1 Inter Centauros, credo, Germania vixit :  
 2 tam male contuso flebilis ore redit.  
 3 Caeditur ; hinc illae lacrimae, et trieteride sexta  
 4 caeditur, et diris caeditur usque flagris  
 5 audio deformes tergo stridere catenas  
 6 horribiles ictus, ut catapultae, sonant.  
 7 Vorticis in morem rapidus cruor effluit. Hister  
 8 fumat, et a tabo Molda, Lycusque, calent.

V70\_3 v.1 Intra Teutoniae cubile. Vise  
 2 Reginam furia doloris aegram.  
 3 Jam vigesima quarta bruma ningit ;  
 4 ex quo Tisiphone movente taxum,  
 5 est crudelibus ustulata flammis.  
 6 In se more phreneticae ruentis,  
 7 toto corpore sauciata saevit.  
 8 Non est tam plaga quam cruenta plaga.

V70\_4 v.1 Regna ! quid a vestris Soror ah ! Germania telis  
 2 [et Germana Soror, tamque venusta] perit ?  
 3 Num quisquam in proprio lascivit sanguine ? Sed vos  
 4 quot lustris agitat tam furiosa Venus !  
 5 Crudeles ! Quid enim video lacerata papilla est ;  
 6 a scapulis caesis nautica lora rubent.  
 7 Crudeles ! Tota est unum Germania vulnus :  
 8 mentitur, quisquis vulnera, dicit, habet.

## SCAZON LXX

V70\_5 v.1 Non te ferocis ad Borysthenis flumen  
 2 remitto. Testis copiosus est Rhenus,  
 3 Alemannus amnis, et puerperis notus.

4 Hic insolentis fert imaginem luctus.  
 5 Cornutus ante, nunc retusus a fronte.  
 6 Illimis ante, nunc rubore confusus  
 7 amisit urnam, plenus ulcerum tabe.  
 8 Ah ! vincte crines sanguinantibus Cannis.

HAEC QUOQUE VIDI IN DIEBUS VANITATIS MEA. IUSTUS PERIT IN IUSTITIA SUA... ECCLES. 7.

V71\_1 v.1 Urgete nimbi lumina,  
 2 et irrigate vultum ;  
 3 ut verna nix in flumina  
 4 palpebra colliquesce,  
 5 pectus lacerti tundite,  
 6 malas arate pugni :  
 7 ut Allemannae patriae  
 8 heroibus parentem.

THRENI.

V71\_2 v.1 Currite plorati vivo de lumine fontes,  
 2 quantos septeno Nilus ab ore pluit.  
 3 In mare molle caput, crines vertantur in undas,  
 4 fronsque pruinosus humida stillet aquis.  
 5 Cur cessas ignava manus, quid in otia pendes ?  
 6 Debuerant pugnis jam rubuisse genae.  
 7 Nescis, quos animo luctus, quae funera volvam ?  
 8 Funera : quae gremio Teutonis ora tegit.

V71\_3 v.1 Bini vos oculi, gemelle Castor,  
 2 pars nostri meliorque molliorque ;  
 3 si, qui vos rogat, intima poetam  
 4 Stella diligitis ; movete fontes,  
 5 frenis fundite lacrimas solutis.  
 6 O ! nimbos date, Pleiadumque fletus.  
 7 O ! emittite, quidquid est liquoris.  
 8 Tristes inferias paramus umbris.

V71\_4 v.1 Acis ero : namque est Acis mutatus in amnem.  
 2 In nova Byblis iit flumina, Byblis ero.  
 3 Lugendum est : stagnate oculi, stagnate refusis  
 4 fontibus : in lachrimas lumina liqui minor.  
 5 Lugendum est : unguis sulcis invertite vultum.  
 6 Hos orbis stellis evacuate manus.  
 7 Ense parentandum est Germanis Manibus, ense ;  
 8 taboque hostili tumba lavanda ducum.

SCAZON LXXI

V71\_5 v.1 Nondum per udum labitur Thetis lumen !  
 2 Huc exsolutae tabidam nivem Brumae,  
 3 huc, Pinde, verte volvat Hebrus aestiva  
 4 in os fluenta. Totus aequoris fiam,  
 5 tegamque campos evagantibus rivis.  
 6 Atrate Scazon, quin cucurbitas grandes  
 7 densasque lacrimaris in sepulcreto ?  
 8 Ah ! occidete Teutonum tot heroes !

## HAEC FECERUNT TRES REBUSTISSIMI. 2. REG. 33.

- V72\_1 v.1 Jacesne Dux fortissime,  
2 Tampiere Lotharinge ?  
3 Buquoyus ergo vulnerum  
4 perfusus imbre vixit !  
5 Ah ! Cerno Pappennhemii  
6 mixtam jacere Calvam.  
7 Sed haec triumphis omnibus  
8 armata gaudet umbra.
- V72\_2 v.1 Pannoniae terror, positis Tampierius armis,  
2 nunc in sarcophago flebilis umbra jacet.  
3 Bellica Buquorum nubes, et ferreus imber  
4 obruit ad tumulos, terra Bohema, tuos,  
5 Henricus, cujus facies fuit una cicatrix,  
6 Pappennemiacaе conditor historiae :  
7 ille quoque exigua pressus componitur arca.  
8 Orbe tamen toto libera fama volat.
- V72\_3 v.1 Tampier mortuus : et vetabor omni  
2 tantum condere funus apparatu ?  
3 Buquoyus tumulatus ; et vetabor  
4 immugire ferocius sepulto ?  
5 Pappennemius, ille Vandalorum  
6 terror, Martia saeculi voluptas,  
7 eheu ! mortuus ; et vetabor iram  
8 fletu mergere tigridi pavendam !
- V72\_4 v.1 Accedo ad tumulos ; et te, Tampiere, saluto ;  
2 cujus deflevit Marspiter ipse necem.  
3 Quae Buquoyani tegit arida corporis ossa,  
4 urbs illis vere est tunc nova visa domus,  
5 et tu Germanis etiam sine carmine note,  
6 qui de vulneribus nobile nomen habes ;  
7 Tu quoque (prorumpunt lacrimae) bellator ab hoste  
8 caesus, apud Manes, dux Alemanne, manus.
- SCAZON LXXII
- V72\_5 v.1 An commovebo saxa Mercuri virga ?  
2 Proдите sacri Tampierii Manes,  
3 ut vos honoret horreatque Presburgum.  
4 Proдите Manes Caroli, sepultique  
5 Mavors coronet fortis ossa Buquoii  
6 prodite tandem, stannea vel in tumba  
7 succo timendi Pappennhemii Manes.  
8 Ah ! ergo et Ajax iste noster occisus !

## GLORIAM ADEPTUS EST IN TOLLENDO MANUS SUAS... ECCLI. 46.

- V73\_1 v.1 Et tu jaces in pulvere  
2 Tilli verende Tilli.  
3 Vestite tot victoriis,  
4 quod densa barba canis  
5 equis in urbem candidis,  
6 Alco vehende curru :  
7 vatium sacris horroribus

8 Tilli canende Tilli.

V73\_2 v.1 Quae Fati rerumque vices ! Et Tillius ictus,  
2 Vindelicos celebres vulnere fecit agros.  
3 Ille triumphorum Martis certissimus heres :  
4 ille decus belli, cassis et umbo ducum  
5 ille in Tarpeias arces soliumque Quirini,  
6 quadrijugis, mixta plebe, vehendus equis.  
7 Ille labor vatum : cui nec cantatus Achilles  
8 par sit et Aeneas ; vix Gedeone minor.

V73\_3 v.1 Eheu ! Tillius undequaque Magnus,  
2 Fama, nomine, rebus : imperare  
3 et parere suis sibique doctus ;  
4 qui totus caput, et manus, et ensis ;  
5 quovis tempore, fertiles ab hostis  
6 fuso sanguine messuit triumphos.  
7 Hic Ingolstadii, jacens in arca,  
8 sex intra spatium pedum tenetur.

V73\_4 v.1 Rumpe dolor leges, et habenas sperne pudoris ;  
2 mortuus in feretro Tillius ipse jacet.  
3 Cui bene dotati victoria nupserat oris,  
4 ad bellatorem ducta puella virum.  
5 Ex qua tot genuit fecunda conjuge Natos.  
6 Quot Capitolinum spicula numen habet.  
7 Nunc nunc herois cane Musa, ut Staius olim :  
8 quae super imposito, aut Magnanimum Aeaciden...

SCAZON LXXIII

V73\_5 v.1 Et tu caballo vecte candido Tilli,  
2 quem duplicatis induit sagis virtus ;  
3 manumque duxit per cruenta nimborum,  
4 per et profunda vulnerum ; per et clara  
5 victoriarum, culmen ad Quirinale :  
6 jaces. Jacentem funebri toro vidi.  
7 Sed Fama, vatum tibiis stat, et stabit.  
8 Ah ! nullus Orpheus excitaverit surdum.

QUOMODO CECIDERUNT FORTES IN PRAELIO? QUOMODO CECIDERUNT ROBUSTI... REG. 1.

V74\_1 v.1 O ! vera belli numina,  
2 et invocanda castris ;  
3 delapsa caelo fulmina  
4 in hostium phalangas :  
5 quis non manus exhorruit ?  
6 Quis terga vestra vidit ?  
7 Nunc vana, vana nomina,  
8 nunc vana, vana, vana.

V74\_2 v.1 Semidei Manes, magnique o numinis instar,  
2 sub quorum pedibus terra Alemanna jacet.  
3 Quali vos titulo venerer vel nomine ? Virtus  
4 vestra fuit fulmen, gloria fulgur erat.  
5 Inde timor tantus titubantem perculit hostem ;  
6 ipsos in vobis sensit adesse Joves.  
7 Quos mea Musa crepas ? Ubi sunt tua numina ? Quorum

8 gloria fulgur erat, sed breve fulgur erat !

V74\_3 v.1 Hi, Germania, dii tui, fuerunt.  
 2 His subnixa tuos virilis hostes  
 3 sternebas, pede colla proterente.  
 4 Horum cura labor, brevesque somni.  
 5 Potusque e galea rubente Rhenus,  
 6 strictos in jugulum latusque regni  
 7 mucrones pepulere. Sed fuerunt  
 8 hi, Germania, dii tui, fuerunt.

TROPHAEA.

V74\_4 v.1 Manes, per quorum cineres jurare licebit,  
 2 dicereque ; istius sic juvet umbra ducis.  
 3 Sique sciens fallam, fulmen me verberet illus,  
 4 quod Cimbro stravit, quo fuit icta Praga ;  
 5 quo, cum mille locis strages daret, aspera Virgo  
 6 denique tacta ruit Partheno fusca Polis.  
 7 Me miserum ! Cur invitatus suspiro ? Quid uror  
 8 fletibus ? O mecum, lector amice, geme.

SCAZON LXXIV

V74\_5 v.1 Haec est quadriga quattuor ducum, Martis  
 2 armata sedes, Caesarumque regumque.  
 3 Falcata stravit obvios, scidit, rupit :  
 4 superque dorsum perduellium tracta  
 5 sulcavit hostes, et cadentibus truncis  
 6 impexit axes lata fulminatrices.  
 7 Galeate scazon, pone gloriae cristas.  
 8 Vah ! quam quadrigam laudibus rotas, fracta est.

IDCIRCO UNUS INTERITUS EST HOMINIS ET IUMENTORUM... ECCLES. 3.

V75\_1 v.1 Fatum, ratumque scilicet,  
 2 ut nil perenne duret.  
 3 Thoraca, cristas, baltea,  
 4 et cassides et enses.  
 5 Nexasque captis urbibus,  
 6 ut annulis, catenas ;  
 7 coercet arca funebris,  
 8 et parva taeda condit.

V75\_2 v.1 Serius adverto, quam duras diptera leges  
 2 explicet : in fatis esse perisse semel.  
 3 Arma feras quaecumque potes : galeamque comasque,  
 4 ensemque et clypeos obruet alta specus.  
 5 Bella geras quaecumque cupis : vexilla virosque,  
 6 et plaustra et lituos hauriet una palus.  
 7 Prosternas, quaecumque feris : simul omnia tandem,  
 8 victorem et victum, parvula fossa teget.

V75\_3 v.1 Si mutabile credis esse Fatum,  
 2 fato falleris, in chaos profundum  
 3 vergunt omnia. Bella, cassis, hastae,  
 4 loricaeque, ocreaeque, et Africanae  
 5 cristae cum lituis ephippiisque,  
 6 una sandapila, sub angiportu,



7 congestis simul obruuntur armis.  
8 Pendent signifero jacente signa.

V75\_4 v.1 Usque adeo Fatis omnes urgemur iniquis,  
2 ut nihil aetatem ferrea ferre sinant.  
3 Miles es, et longo cristarum fulgure ventos  
4 purfuris, et pedibus sparsa orichalca quatis ;  
5 incendis Trojam, et Magden- lacrimabile -burgum,  
6 in digitis numeras praelia gesta tuis.  
7 Ah ! cessa numerare tuos, Marcelle, triumphos.  
8 Ultimus in tumulum, te subeunte, cadet.

SCAZON LXXV

V75\_5 v.1 Stat lege fixum, qua cavetur, ut nullis  
2 fas sit triumphis militum perennare,  
3 Ulyssem Achillis, atque Ulyssis Ajacem,  
4 et balteorum fulgur, et lacertosos  
5 belli Milones, et Milonis umbones,  
6 ipsumque bellum cum fremente Bellona,  
7 suffocat una fossa, tres pedes lata.  
8 Vah ! magna saepe pumilo necat vota.

DERELICTI SUMUS PAUCI DE PLURIBUS. JEREM. 42.

V76\_1 v.1 Si conciderunt Hectores,  
2 quid non Paris timebit ?  
3 Expende sis superstites  
4 a praelio Pragensi.  
5 Duc calculos, et computa ;  
6 vexilla quot recenses ?  
7 Ter dena ? Suffla, ter tria ?  
8 Suffla, sed octo ? Suffla !

V76\_2 v.1 Magnanimi timidique cadunt, nec parcitur ulli ;  
2 provivant acies, si periere duces ?  
3 Heu ! Quantas olim cataphracta Bohemia, quantas  
4 vidit in Albano castra jocare jugo !  
5 Grandine quam densa Boreas morientia tundit  
6 gramina ; tot gladiis vulneribusque pluit.  
7 Nempe novus Xerxes veterem revocavit ab Orco.  
8 Victus hic ad Pragam est ; ad Salamina prior.

V76\_3 v.1 Vulsis stirpitis erutisque cedris.  
2 Quid sperent salices, frutex, myricae ?  
3 Caesis Aeacidis, virente ligno  
4 quid Tros lixa ? Quid arefacta ficus ?  
5 Armatas animo revolve turmas,  
6 quas sub pellibus excubare vidit  
7 Marcomannia. Quot triariorum  
8 restant millia ? Nulla nulla ? Nulla.

V76\_4 v.1 Et versetur apud Superos Paris Hectore caeso ?  
2 Et maneat caeso vivus Achille Paris ?  
3 Ordine fata meant ex quo Pragense trophaeum  
4 Boicus armipotens Aemilianus habet.  
5 Quaere : quot ex alis pennarum millia restent  
6 stella quibus pugnae praevia signa dedit ?

7 Bis duo, sunt quatuor ; bis quattuor, octo ; bis octo  
8 bis duplica. Numerum quem data summa facit

## SCAZON LXXVI

V76\_5 v.1 Commune vulnus Fata dividunt. Fortes  
2 viros, ad umbras grex sequetur imbellis.  
3 Quot Praga triplex atque Molda muscosis  
4 infusa ripis censuit duces, signa  
5 exercitusque ; cum Leone Boiorum  
6 hinc rugiente terra movit hostilis !  
7 Hinc plena messis fluctuavit in campo.  
8 Vah ! culmi inanes mortis horreum stipant !

## VANITATE SEDUCTI SUMUS. 1. ESDR. 1.

V77\_1 v.1 Protrusit alter alterum  
2 ad fata, bella, caedes :  
3 alterque se post alterum  
4 subduxit e theatro.  
5 Cum caeteri catastrophem  
6 scenamque siniissent ;  
7 novum dedit spectaculum  
8 ballaena grandis orbi.

V77\_2 v.1 Sic est. Exemplis populi plerique trahuntur ;  
2 praeluxitque facem, qui prior arma tulit.  
3 Ergo aliquid Gyaris dignum, quos spes agit, audent.  
4 Et modo rex, modo faex ; iste modo, ille modo.  
5 Non poterat melius Sophoclea tragoedia ludi :  
6 fingere nil potuit tristius Euripides.  
7 Unus post alium dixitque, obiitque. Sed inter  
8 praecipuos, Suecus Roscius actor erat.

V77\_3 v.1 Sic quondam gladiator in palaestra,  
2 alter sustulit alterum, remittens  
3 vicino spoliario cadaver.  
4 Et nos retia retiariorum,  
5 currus vidimus essedariorum,  
6 caecos Andabatas, vagosque Thraces ;  
7 caesis hoplomachis, et his et illis,  
8 myrmillo nova Suecus arma sumpsit.

## ALTERNA.

V77\_4 v.1 Aspiciate orchestram, Germanorumque theatrum,  
2 in quo lusa diu fabula Bella fuit.  
3 Non omnes lusere simul ; simul unus et alter :  
4 post alios alii ; semper in Orbe novi.  
5 Legatum tubicen, soccum excepere cothurni ;  
6 coepit ad extremum serius esse locus.  
7 At varia a multis postquam persona peracta est  
8 ecce tibi, in scena nauta repente stetit.

## SCAZON LXXVII

V77\_5 v.1 Ut stans ad amnem, si vel unicus tranet  
2 Taurus, sequuntur tota plebis armenta.  
3 Sic provocari mugientibus primis,  
4 remugientes dira bella bellarunt.

5 Amplexus ulnis arma vulgus et ambabus  
 6 effudituras ; cumque bobus et bubus  
 7 animam profudit his ab hoste porrectis  
 8 vah ! quanta ab alto squamma terruit ripas !

ET TRANSIVI, ET ECCE NON ERAT.

V78\_1 v.1 Quinto Choragus Sueciae  
 2 prodire coepit actu.  
 3 Gustavus alto turgidus,  
 4 et spe laboriosa ;  
 5 audax Iason fabulam  
 6 egit duobus annis.  
 7 Sed mox cothurnos exuit,  
 8 quos induisse nollet.

V78\_2 v.1 Ille sub extremum, quo tempore ventilat ignes  
 2 Hesperus, in scenam venit anhelus eques ;  
 3 terribilis, vultumque tumens Aquilone minaci  
 4 quod mirere tamen, serica verba dabat.  
 5 Sed fictos risus veras mox solvit in iras ;  
 6 duravitque duos actio tota dies.  
 7 Cum subito cecidit cum plausu exploditur actor.  
 8 In lyrico campo dixit, et occubuit.

TOPANTA

V78\_3 v.1 Suecus suppositicius sibi ipsi,  
 2 et Thraces simul et simul secutor,  
 3 et navi celer, et celer quadriga,  
 4 in plano metuendus, essedoque,  
 5 torvus casside, saevus et tridente,  
 6 postquam millia perculit trecenta,  
 7 uno succubuit peremptus ictu.  
 8 Et sic pabula desiit videri.

SOMNIUM.

V78\_4 v.1 Is Suecus Gustavus erat ; qui plurimus actu  
 2 Quinto, caeruleos aequore plausit equos.  
 3 Mira quoque exhibuit : nam ludebatur Iason :  
 4 Balthica jurasses remige stagna quati.  
 5 Insula flagrabat non una ; Ceraunia fundo  
 6 eruta, Nereides succubere procis.  
 7 Dum petitur vellus, dum luditur, actor ab hoste  
 8 caeditur, hic nox est. Ite domum satura.

SCAZON LXXVIII

V78\_5 v.1 Gustavus illa belluosus in pompa,  
 2 multaeque formae Proteus ; bovis stella  
 3 cornuque fortis, atque Morte stipatus ;  
 4 Romana postquam prata vidit ingressus ;  
 5 vastum boavit, et replevit Europen ;  
 6 quam militari ventilavit in circos ;  
 7 unoque demum corrui popae pulsit ;  
 8 vah ! in securim, dum cucurrit impactus.

TRANSIBIT VITA NOSTRA TANQUAM VESTIGIUM NUBIS, ET SICUT NEBULA DISSOLVETUR. SAP. 11.

- V79\_1 v.1 Sic omnis aura gloriae  
2 afflantis evaporat.  
3 Cum nubibus consumitur,  
4 cum nubibus rotatur.  
5 Formas in omnes vertitur ;  
6 extrema nil vocatur ;  
7 o ! quanta spes mortalium  
8 post vota strangulatur !
- V79\_2 v.1 Sic statuat, quicumque sapit. Vana, omnia vana.  
2 Vana Fides, vana est Gloria, vanus Honor.  
3 Crescit in hydropem, tumidaque repletur ab aura ;  
4 et totum pelagus maxima vota bibunt.  
5 Dic quid Honor ? Glacies, vitrum, cinis, amphora, concha.  
6 Quid fallax Iris, gemmea bulla, nihil.  
7 I nunc, et velis ventos majoribus hauri :  
8 sed cave, ne Ponto sparsa carina natet,
- V79\_3 v.1 Ut quemcumque sacro sinu Thalia  
2 infantem tulit, atque vagientem  
3 tinxit nectare lacteae papillae,  
4 contactu manuum pedumque palpet  
5 vanae emblemata vana vanitatis.  
6 Ventorum jocus ilia sunt. In auras  
7 omnis fastus abit. Cuniculosae  
8 spes, ut Luna, timet suis eclipses.
- CLAUSULA.
- V79\_4 v.1 Ludimus ? An sphynges et nos proponimus orbi ?  
2 Qui reperis sensum ; Gloria, dic, vapor est.  
3 Nulla manet constans, ut comica labitur umbra,  
4 a vento facilis praetereunte rapi.  
5 Nubem nunc aquilam fieri, nunc esse draconem  
6 saepe vides ; sed cum vanuit, esse nihil.  
7 Spes quoque, nunc Britonum, sibi nunc Regina videtur  
8 Indorum : demum se videt esse nihil.
- SCAZON LXXIX
- V79\_5 v.1 Haec bracteatae digna gloriae merces.  
2 Stilusque vanae curiae. Vapor transit,  
3 et cum vapore fama. Splendet immensi  
4 ampulla plena nominis. Natant verba  
5 in lacte puro ; litteraeque promissis  
6 argenteae incrustantur inverecundis.  
7 Valles voventur gemmea, aurei montes.  
8 Vah ! stulta vota dii deaeque derident.

OMNIA TEMPUS HABENT, ET SUIS SPATIIS TRANSEUNT UNIVERSA SUB CAEL. ECCLES. 3.

- V80\_1 v.1 Hac lege quaedam condita,  
2 ut occidant in ortu.  
3 Sensim peritur. Interit  
4 res interire nata.  
5 Omnes ad haec suspiria  
6 ducuntur aut trahuntur ;

7 suis comati crinibus,  
8 rudentibusque calvi.

V80\_2 v.1 Si potes, accusa Superos, qui cuncta coercent,  
2 inque brevi spatio non diuturna rotant.  
3 Disce. Quod est, sensim fluit ad non esse, peritque.  
4 Omnia, ceu fungos, mors inopina metit.  
5 Quamvis ad Tanaim fugias. Neque nota Columbo  
6 littora, te retrahet, nescia ferre moras.  
7 Obsequere : allidit calvos in saxa ; comatos  
8 vellicat. Haec mens est optima, velle mori.

PARANESIS.

V80\_3 v.1 Mortales, quod es, esto, nilque malis :  
2 hoc Natura dedit severa nomen,  
3 non cassum vel inane ; vera res est.  
4 Vitam reddere debitum vocabis.  
5 Nulla solve mora. Cave, coacto  
6 ut Proserpina tondeat capillos.  
7 Sponte occurre ; vocantibusque Fatis  
8 responde intrepidus : vocatis ? Adsum.

V80\_4 v.1 Omnia ad interitum vergunt : occasus ab ortu  
2 pendet, ab aurora vespera, noxque die.  
3 Nec quia non subito, neque prima, exstingueris hora,  
4 tutus es a decima, quae decimamque praeit.  
5 Forte brevi veniet ; venit, parere necesse est.  
6 Ducendusne manu, an fune trahendus eris ?  
7 Mors nulli parcat. Macros sua frangit in ossa ;  
8 pingues, ut botros exprimit, aut peponem.

SCAZON LXXX.ALTERUTRUM.

V80\_5 v.1 Lustrare Fata cui licebit arcana :  
2 cognoscet ille rebus omnibus finem,  
3 noctem diebus semper esse decretam.  
4 Nasci, perire ; vivere ac mori, plena  
5 et tota, nec mutanda summa summarum est.  
6 Non sponte vadis ? Coget improbus lictor.  
7 Praecurris illum ? Te sequetur a tergo.  
8 Vah ! seu sequatur, seu sequare, procumbes.

NON HABEMUS HIC PERMANENTEM CIVITATEM. AD HEBR. 13.

V81\_1 v.1 Erratis, o Adamidae  
2 saxo lutove ficti !  
3 Si firmitatem quaeritis  
4 in vitrea moneta,  
5 vestras casas in orbitam  
6 diversa Fata gyraunt :  
7 gyrauntur ut mapalia  
8 fugacium Scytharum.

V81\_2 v.1 Usque adeone juvat falli, et succumbere culpae !  
2 Dicite mortales Deucalione sati.  
3 Atqui falluntur, qui splendida fragmina vitri  
4 praeponunt gemmis marmoribusque lutum.  
5 Qui fragiles tabulas et structa cubilia culmo.

6           Credunt a nullo dissoluenda Noto.  
7       Ah miseri ! Scythicis malim dormire grabatis  
8           quos decies uno gens rotat ista die,

V81\_3   v.1     Pyrrhae posteritas, amica saxis,  
2           e quorum caluit, satu ; videtur  
3           omnem dilapidasse mentis usum  
4           concretam glaciem marisque spumam  
5           praefert grandibus Indiae smaragdis.  
6           Putrem classibus anteponebat alnum.  
7           Quas arces fabricantur hi coloni,  
8           sunt magalia mobilis Geloni.

V81\_4   v.1     Quae non est simplex obtusae insania mentis  
2           errores aliquis decipiendus amat :  
3           et si vendis emat turrem imponit arenae,  
4           et pallas rigidi marmoris instar habet.  
5           Tanquam si nullis (o Dave !) obnoxia fatis,  
6           tectis meris stipulis aedificata forent.  
7           Cum tamen a verna suspensus hirundine nidus.  
8           Tutior et profugi sic casa Massagetae.

SCAZON LXXXI. SYLLOGIZANS.

V81\_5   v.1     Ille, qui vitro imponit arces, stultus est.  
2           Sed imponit homo sumptuosus.  
3           Ergo. Major est certa. Minor probatur,  
4           Qui palatium fundat saxis, arena fundat.  
5           Ergo, nam marmor quodcumque, arena est,  
6           qualis et vitrum est. Unde concludo :  
7           nil distare Caesarum sedes  
8           a sede Thracum vel casa Scytharum, Vah !

LUXIT ET DEFLUXIT TERRA, ET INFIRMATA EST, DEFLUXIT ORBIS. ESDR. 24.

V82\_1   v.1     En totus orbis turbine  
2           quassatur et laborat.  
3           Vix ipse nunc se sustinet  
4           compage dissoluta ;  
5           rugis et annis obsitus,  
6           gibbosus et vacillans ;  
7           jam jam vehendus (suaserim)  
8           naulum dedit Charonti.

V82\_2   v.1     Totus anhela trahit trepidans suspiria mundus :  
2           hectica seu febris, sive maligna coquit.  
3           Aspice, quam tenui facie decrescat. Ut ora  
4           squalidus ex senio pulverulenta gerat.  
5           Ut gelidam frontem ducto sulcetur aratro :  
6           ut caput obstipum pendeat in silices.  
7           Exclamare lubet : mediam pertundite venam,  
8           o medici ! Mundus cras, puto, funus erit.

V82\_3   v.1     Audis ? Terra movet ; tremunt solutis  
2           costae ponderibus. Vapores clauso  
3           subsultant juga ; silva migrat ; amnes  
4           effusis phialis nigri recedunt.  
5           Valles aedificant ; ad ima montes

6 lapsi praecipitant. Vacillat Orbis.  
 7 Convaset, noto signa finiendi.  
 8 Cras corvi crocitant. Petunt cadaver.

V82\_4 v.1 De casulis loquimur : cum tota haec machina nutet,  
 2 inque modum titubet tortilis acta pilae !  
 3 Ante, Globus fuerat : nunc sunt quadrata rotundis  
 4 mixta ; nec est Orbis, qui prius orbis erat.  
 5 Non ita fetet anus deformis et unica ruga ;  
 6 non ita vulneribus Marsya scissus hiat.  
 7 Si bene cognovi morbum, vitalia rumpet ;  
 8 venturoque animam vespere mundus aget.

SCAZON LXXXII

V82\_5 v.1 De Microcosmi firmitate quid speres ?  
 2 Si Macrocosmus, totus Orbis, inclinat,  
 3 devexioris mole pressus aetatis.  
 4 Capularis effetusque, fissa, lipporum  
 5 silicerniorum more, labra detorquet.  
 6 Et jam fatiscit, dissilit, crepat, tussit.  
 7 Miserande Laches, et caduce tot morbis !  
 8 Vah ! quis cadaver istud obteget caespes !

SCIMUS ENIM, QUOD OMNIS CREATURA INGEMISCIT ET PARTURIT USQUE ADHUC. AD ROM...

V83\_1 v.1 Elementa rerum dissident,  
 2 secumque proeliantur.  
 3 Aquae dolent ab ignibus.  
 4 Occidit unda flammis.  
 5 Clangore credas buccinam  
 6 ad arma concitare :  
 7 impacta tantis viribus  
 8 tunduntur et retundunt.

V83\_2 v.1 Quis furor invasit primarum corpora rerum ?  
 2 Quam rapidum bellum bruta elementa movent ?  
 3 Devorat ignis aquas, et aquis exstinguitur ignis.  
 4 Perpetuas caedes ista duella trahunt.  
 5 Tillius et Suecus non hoc conflagrare motu ;  
 6 et minor est rabies, Lipsia, visa tibi.  
 7 Non exspectatis lituis ad bella feruntur.  
 8 Fit via vi. Leges cedite fit via vi.

V83\_3 v.1 Audis classica ? Provocantur aere  
 2 ad pugnas elementa Martiales.  
 3 Concurrunt animis acerba tantis :  
 4 quantis cum Machomete Persa, luna  
 5 cum non sole suo. Pyropus undis  
 6 immissus furit ; et, salis marini  
 7 si vel guttula vexet, ultor ignis  
 8 inflammatur, et excitatur ira.

TESSAROMACHIA.

V83\_4 v.1 Alternant elementa vices adversa, manumque  
 2 proelia, qua possunt, insidiosa gerunt.  
 3 Tellurem mare vastat, et hoc mutatur in auras !  
 4 Unda domat flammis, et domat ignis aquas.

5 Tam rapide nunquam vidi concurrere tauros,  
 6 cum novus in pingui mugit adulter agro.  
 7 Sed neque tam gladio, quam solo corpore pugnant ;  
 8 cuique dat innatus proxima tela furor.

## SCAZON LXXXIII

V83\_5 v.1 Elementa pugnant, irruuntque quadrata  
 2 acie sonora, seque fixa discerpunt.  
 3 Quae causa motus concitavit hostiles ?  
 4 Audis fragorem ? Stridet ignis et saevit  
 5 exulceratis fluctibus favillarum.  
 6 Tethys vicissim ringitur canis gallo,  
 7 et juncta serpens simiae, minus se, vah,  
 8 odere in ipso culeo. Quid exspectes ?

## QUAE SURSUM SUNT QUERITE, NON QUAE SUPER TERRAM. COLOSS. 8.

V84\_1 v.1 Quae mens superbit ardua  
 2 tales pati tumultus ;  
 3 consurgat, et sublimius  
 4 evecta libret alas  
 5 terris relictis aethera  
 6 nullo morante tranet.  
 7 Qua Virgo libram spiceo  
 8 serena mulcet astro.

V84\_2 v.1 Desperanda quies homini, qui pondere pressus  
 2 vivit in hoc lites multiplicante Foro.  
 3 Ergo age, quem lassant mortalis taedia vitae,  
 4 ad superas sedes (esto columba) vola.  
 5 Quid facis in terra, quando tibi panditur Aether ?  
 6 Aliger huc pennas porrige, nise tuas.  
 7 Te blanda Erigone stellantibus evocat ulvis ;  
 8 jam tibi scintillat fulgida Libra : veni.

V84\_3 v.1 Tanto gratius ergo sanctiusque  
 2 nostri consilium datur Senatus.  
 3 Quem rerum sapienter infimarum  
 4 taedet : " Surge, tace, vola ". Columbae  
 5 pennis nitere. Perge, qua mamillam  
 6 nudans Uranie, viamque pandens  
 7 caeli lactea lacteam, sereno  
 8 in fugentis stillat astra nimbo.

V84\_4 v.1 Qui detestatis rubras pejoraque Mundi  
 2 proelia, quam Cadmi viderit ulla seges ;  
 3 erige sublimes vultus, et ad aethera tolle :  
 4 Terra nihil pulchri, quod tuearis habet.  
 5 Tende gemens turtur supera ad convexa volatum ;  
 6 omnis habet pennas mens animosa suas.  
 7 Quin Libram librande petis ? Quam spica coronat  
 8 Virginis, et dulci sidere plena micat.

## SCAZON LXXXIV

V84\_5 v.1 Actum est, quietem nemo speret in terris,  
 2 o ! qui caducae sortis et quadrigarum  
 3 strepitus forumque, et cuncta vana fastidis ;



4 sustolle vultus irretorte sublimes ;  
 5 utque ales aethram Chaonis secat penna,  
 6 transcende caelum patriamque stellarum.  
 7 Vides : ut alma Virgo ventilat spicam,  
 8 manumque tendit et coruscat. Accede.

VIDI SANCTAM CIVITATEM IERUSALEM... APOCAL. 21.

V85\_1 v.1 Illic licebit ingredi  
 2 Summam Sionis arcem,  
 3 regnumque nec mutabile,  
 4 nec fine terminandum.  
 5 Dies Orion submovet  
 6 horasque supplicantes ;  
 7 mensesque, quamvis ambient,  
 8 mucrone lictor arcet.

URANIE.

V85\_2 v.1 Urbem intrare cupis ? Solymae caelestis in auro  
 2 moenia fundatae chrysolithoque patent.  
 3 In regno Rex esse petis ? Potiere petiti.  
 4 Ostrum perpetui pignus honoris erit.  
 5 Extra anni solisque vias est nobile regnum ;  
 6 quod nec Aprilis adit, nec mala pulsat hiems,  
 7 ipse roget majus Zephyro comitante, repulsam,  
 8 cinnama quantumvis spiret odora, feret.

V85\_3 v.1 Illic (nonne vides ?) stat urbs Sionis.  
 2 Pacis visio, pacis hanc petamus.  
 3 Bello nulla salus. Supra cometas  
 4 stellis altius est perenne regnum,  
 5 extra moenia sunt dies et anni,  
 6 et menses, male feriata turba.  
 7 Vestitu spoliata nuptiali,  
 8 haud intrare sinentur ad choreas.

V85\_4 v.1 Illic sublimis rupes stellata Sionis  
 2 Emicat, Angelicis arx habitata choris.  
 3 Caetera in Orbe rotat vertigo palatia in orbem :  
 4 in quadro posita est urbs Solymaea situ.  
 5 Huc neque crine ruber veniet neque lumine laesus,  
 6 nec niger ore dies, nec brevis hora pede.  
 7 Ejus delicias olfecit Cynthia nunquam,  
 8 Cynthus olfecit ; sed quid odoris odor ?

SCAZON LXXXV

V85\_5 v.1 Io triumphae ! Regia Sionaea  
 2 potimur. O quam fulget ista caelestis  
 3 Salomonis aula ! Quam decora, quam nullis  
 4 subjecta Fatis. Urbs perennis in vivo  
 5 locata saxo, damna temporum nescit,  
 6 nulloque circumscripta termino durat.  
 7 Nec calvus hortos Januarius tondet,  
 8 nec torret agros igne Julius messor.

## FORIS CANES ET VENEFICI ET IMPUDICI ET HOMICIDAE, ETC. APOC. ULT.

- V86\_1 v.1 Non hic timentur Attilae,  
 2 non Balthici tyranni ;  
 3 nam quisquis intrat Vandalus,  
 4 mitescit instar agni.  
 5 Absunt procul sicarii,  
 6 et perditii latrones,  
 7 dirique bestiarii,  
 8 cruoris helluones.
- V86\_2 v.1 Quo neque vastator Mundi penetraverit Hunnus  
 2 Attila, nec rapto Vandalus hostis equo.  
 3 Quod si quis penetret, nulla feritate timendus,  
 4 depositoque lupo, mitis ut agnus erit.  
 5 Qui Diomedis equos satura ad praesepia ducunt,  
 6 qui patriam vendunt, prostituuntque toros ;  
 7 qui jugulos solvunt, quorum omnis, Bestia, vox est,  
 8 cum genero Cereris tertia regna renent.

## INTERDICTUM.

- V86\_3 v.1 Ignavus timor exsulat, nec aurem  
 2 hostiles eleleu sonans per agros.  
 3 Vel stridens Alaelaza verberabit.  
 4 Nec Sueci super irruent, lupi ceu :  
 5 nam Moeris prior hos videbit Agnus.  
 6 Quisquis syllaturit, paratus ipsas  
 7 fixa vendere nuptias sub hasta :  
 8 caelesti procul Urbe submovetur.
- V86\_4 v.1 Balthica nulla strepunt ad clausas tympana portas,  
 2 nec peregrina movet Suecicus arma furor.  
 3 Intus quisquis habet, genio mansuevit amici.  
 4 Talem si videas, esse putabis ovem.  
 5 Hinc procul arcentur, qui fletum undamque calentem.  
 6 Sanguinis, ex calvis uberibusque bibunt ;  
 7 inter sandapilas et femineos ululatus  
 8 quaerendi, et matrum funera, et ossa patrum.

## SCAZON LXXXVI

- V86\_5 v.1 Io triumphae ! Non timentur hic Gothi  
 2 inhospitales, turbinesque Gustavi.  
 3 Esto : Hunnus intret doctus ante rugire,  
 4 mox mitiore blandus ore balabit.  
 5 Quicumque justis sanguinis vomunt rivos,  
 6 Scinis, Procustes, Turca, Thrax, Amurathes,  
 7 Phalaris, Perillus, belluae coronatae,  
 8 Plutonis imo collocantur in plumbo.

## ET REGNI EIUS NON ERIT FINIS. LUC. 1.

- V87\_1 v.1 Aeternitas obambulat,  
 2 sanctamque cingit Urbem ;  
 3 et inquietos gaudiis  
 4 gaudentibus coronat.  
 5 Vivis pyropis civium  
 6 stellata surgit. Aula :

- 7 electus horum vivere  
8 qui vivit, ille vivit.
- V87\_2 v.1 Vivitur aeternum laete. Deus omnibus illis  
2 imperium felix et sine fine dedit.  
3 Exsultant plauduntque animae ; ipsarumque animarum  
4 quas animent, aliae gaudia sunt animae.  
5 O cives, cives ! O jus regale Quiritum !  
6 Quis non divitiis omnibus istud emat ?  
7 Seraphici cives, electi ex millibus omnes.  
8 O animae quarum gaudia sunt animae
- V87\_3 v.1 Nemo Terminus hic vocatur. Urbem  
2 florentem, sine termino, gubernant  
3 centum gaudia summa gaudiorum,  
4 o ! quae gaudia summa gaudiorum !  
5 Mille o gaudia mille gaudiorum !  
6 Vivamus, mea Lux, in hoc recessu.  
7 Vivamus, mea Vita, in hac corona.  
8 Sanctorum pretiosa Mors, adesto.
- V87\_4 v.1 Tempus ab indigenis, quod vivunt, dicitur aevum ;  
2 nec vitae metas, nec ditionis habent.  
3 Miraris, quid agant ; gaudent. Non quaeritur illic  
4 sollicitate, laetas quid faciat segetes.  
5 Sponte sua crescunt, Saturni falce premendae.  
6 O ! Felix campis Messor in Elysiis.  
7 Namque ubi de meritis, glebaque ex ubere, tantum  
8 laeta seges metitur, vivere laetitia est.
- SCAZON LXXXVII. SYNONYMA.
- V87\_5 v.1 Io triumpho ! Sponso cum suo sponso est,  
2 aeternitatis annulus manus ambit.  
3 O laeta vita ! Vivere atque gaudere  
4 tam sunt idem, quam cuspis ensis, et mucro.  
5 Magni quirites, Christiana quos Roma  
6 transmisit astris Caelitum senatores ;  
7 illi beatae publicae rei praesunt  
8 quae vota vincit et Platonis ideas.

QUAM DILECTA TABERNACULA TUA DOMINE VIRTUTUM. PSAL. 83.

- V88\_1 v.1 Ibi venustas pulchrior  
2 non excavatur annis ;  
3 ibi Juventa laetior  
4 non laeditur senecta ;  
5 ibi Voluptas purior  
6 nullos timet dolores ;  
7 nec expavescit Martios  
8 palmata Pax fragores.
- V88\_2 v.1 Quae rosa sidereis in vultibus aurea vernat,  
2 nunquam cum rosis decidet illa rosis,  
3 perpetuum florem servat juvenilibus annis ;  
4 nec tremet, aut ullo vespere fiet anus.  
5 Puris ora favis implentur. Dicite justo.  
6 Quam bene : cum semper gaudeat absque metu.

7 Classica, bella, foris strident. Pax intus amoena  
8 se redimit, sertis ; classica, bella foris.

## PARADOXUM.

V88\_3 v.1 Et sunt hic veneres (Venusque non est)  
2 et quae sunt veneres, manent venustae.  
3 Et sunt hic juvenes (senexque non est)  
4 et qui sunt juvenes, senes videntur.  
5 Et sunt laetitia (dolorque non est)  
6 quae se laetitiis fruuntur ipsis.  
7 Et pax tuta suos (timorque non est)  
8 vestit duplicibus togis triumphos.

V88\_4 v.1 Quis decor aequabit florentia corpora Divum ?  
2 Quae si Sol videat, protinus invideat.  
3 Quam bene ter denis addunt tres insuper annos !  
4 Haec aetas Christi. Pulchrior esse potest ?  
5 Quod juvat, illud habent : nulli licet edere votum ;  
6 ante tamen quodvis omnia habere licet.  
7 Quidquid terret, abest. Exacto Marte, triumphum  
8 Cum diademato Principe pacis agunt.

## SCAZON LXXXVIII.GENETHLIACON.

V88\_5 v.1 Io triumpho ! Certa, nec fugax formae  
2 durat venustas, ut Carystium marmor,  
3 coma quasi corvus, nigra floridae gentis,  
4 nullo senectae destruetur a Cycno.  
5 Ludunt in hortis Gratiae, voluptates  
6 castae sonoras semper alluunt ripas.  
7 Cum Marte fesso pax jocatur ac ridet :  
8 et per plateas Alleluia cantatur.

## ET MORS ULTRA NON ERIT. APOC. 21.

V89\_1 v.1 Ibi nec ardet Ilium,  
2 nec fumat ulla Roma.  
3 Gemmata propugnacula  
4 securitas tuetur.  
5 Postes Sacri Palatii  
6 sunt semper obserati :  
7 quod possident, hoc possident,  
8 qui possident, beati.

## TOPOGRAPHIA.

V89\_2 v.1 Sic decuit : tuto tenet, aeternumque tenebit ;  
2 finitas nullo fine beatus opes.  
3 Nulla timent adeo cives incendia : caelum  
4 empyreum, flammam non nisi Amoris habet.  
5 Tam sunt securi, tamque hostis ab igne remoti,  
6 ut sibi nil metuat proximus Ucalegon.  
7 Agnus signavit portas ad amantem : nec hirci  
8 ullus eum solvet comminuetve cruor.

V89\_3 v.1 Arces Ausoniae valete Trojae ;  
2 tures Dardaniae valete Romae.  
3 Vos et viribus et viris potestis  
4 excindi, sonitusque ferre stivae.  
5 Ad caelestia nemo post aratrum

6 venit respiciens ; nec ulla cives  
7 vis turbare valet. Minetur hostis.  
8 Clausa est janua clavis intus, aevum est.

V89\_4 v.1 Urbs secure sui. Fallacem finge Sinonem  
2 turribus Iliacas subdere velle faces.  
3 Nempe potest ? Nempe ullus erit ? Subnixaque gemmis  
4 Moenia, Trojani machina scandet equi ?  
5 Atqui clausa semel, nunquam Bellona recludet ;  
6 caelestes sapient nec tibi sero Phryges  
7 certa salus, semperque manu possessa tenetur.  
8 Scilicet hic tineas purpura nulla timet.

SCAZON LXXXIX

V89\_5 v.1 Io triumphes ! Nam parem situ, forma  
2 urbem, nec Hector, nec Camillus aspexit.  
3 Cui totus Orbis comparatus est nidus.  
4 Et margaritis structa candidis porta  
5 nequit arietari, machinisve pulsari,  
6 petive scalis, turribusve terreri.  
7 Curule firma ridet omne tormentum.  
8 Quod possidetur, possidetur aeternum.

EGO ESTENDAM OMNE BONUM TIBI. EXOD. 33.

V90\_1 v.1 Uno bono, sed optimo,  
2 sed maximo fruuntur.  
3 Exundat immensum mare,  
4 venasque litorales,  
5 ripasque transit pectorum  
6 dulcissimum profundum.  
7 Portum tenet, qui mergitur :  
8 nam fluctus est amoris.

V90\_2 v.1 Finge bonum quodcumque voles, et quanta cupido est,  
2 finxisti ? Hoc melius, hoc quoque majus habent,  
3 Oceanum junge Oceano, vaga flumina ponto,  
4 junxisti ? Haec gutta est illius una Maris,  
5 plena voluptatis spumat torrente procella.  
6 Gaudia lacte tument, pectora melle natant.  
7 Felix, o nimium felix, hoc aequore mersus !  
8 Insanit, qui vult hic quoque nave vehi.

V90\_3 v.1 Unum, (o plurima !) possident Beati.  
2 Verum, (o dulcia !) possident Beati.  
3 Bonum. (O optima !) possident Beati.  
4 Summum, (o omnia !) possident Beati.  
5 Qui caelo fluit effluitque Nilus,  
6 ripas deliciis inundat alte,  
7 et fundo caret ; ejus inveniri  
8 (haud est fabula) non potest origo.

V90\_4 v.1 Non oculus vidit, non audiit auris ; et in cor  
2 nunquam descendit copia tanta boni :  
3 inque scrobem parvam citius maria omnia coges,  
4 Tyrrhenum, Adriacum, Carpathium, Siculum.  
5 Hoc immane bonum non littore clauditur ullo.

6 Egređitur ripas laetitiisque fremit.  
 7 Dulcis somne veni, precor, et me dejice puppi :  
 8 o Anchisiades, hic Palinurus ero.

SCAZON XC.CORNU COPIA.

V90\_5 v.1 Io triumphe ! Verum, et unicum, et Samnium  
 2 bonum, res usis fontibus super campos  
 3 animosque fertur, cuncta Numine involvent.  
 4 Ingurgitantur pectorum sinus vasta  
 5 amoenitatis copia : supernorum  
 6 dum gaudiorum decidunt catarractae ?  
 7 Lateque regnat delicata tempestas.  
 8 Mergamur omnes, ut natemus in portu.

IN LUMINE TUO VIDEBIMUS LUMEN. PSAL. 35.

V91\_1 v.1 Illustre lumen gloriae  
 2 in mentibus refulget.  
 3 Quo Numen aspectabile  
 4 medullitus videtur.  
 5 Soluta sunt aenigmata,  
 6 velamen est reductum.  
 7 Nullis prophetis indigent :  
 8 sunt singuli videntes.

V91\_2 v.1 Sed quis describat lumen, quod gloria donat,  
 2 mensum ponderibus, gratia Diva, tuis ;  
 3 quo faciem a nullo factam, velamine rupto,  
 4 de facie ad faciem mens oculata videt ;  
 5 infusumque bibit cum toto Numine caelum.  
 6 Sol talis potus unica gutta foret.  
 7 Sat dixit, qui de divino nectare dixit :  
 8 Sol talis potus unica gutta foret.

V91\_3 v.1 Circumdat, penetrat, coronat omnes  
 2 Regis Gratia, gloriaeque lumen.  
 3 Urbs spectacula semper intuetur,  
 4 quae summus facit editor. Ter unus :  
 5 totusque est animus sibi theatrum ;  
 6 in quo, sipario videt remoto,  
 7 pulchrum grande nimis, nimisque pulchrum :  
 8 prae quo cetera pulchra sunt sepulcrum.

V91\_4 v.1 Per nitidas mentes diffundit gloria lumen,  
 2 quo lumen majus splendidiusque vident.  
 3 Immortale, sacrum, infinitum, aeternum, immensum,  
 4 lumen de dulci lumine dulce, Deum.  
 5 Omnia noverunt ; metrique aenigma sequentis  
 6 solvere quisque puer, quaeque puella potest.  
 7 In caelo vati locus est, (solve Oedipe) vati  
 8 in caelo non est (Oedipe solve) locus.

SCAZON XCI

V91\_5 v.1 Io triumphe ! Quale lumen ! O quale  
 2 quantumque mentes roborat Beatorum ?  
 3 Deus videtur in Sion, Deus, qualis  
 4 quantusque generat, cumque filio spirat.  
 5 Implevit omnes gloriosa majestas.

6 Metam viator comprehendit. Ambages  
7 oraculorum nil moratur et linguas.  
8 Contentus uno vivit unico Verbo.

NON EGEBANT LUMINE LUCERNAE, NEQUE LUMINE SOLIS... APOC. ULT.

V92\_1 v.1 Caleant globum Titanium,  
2 Lunamque vorticosam,  
3 altam Gradivi lanceam,  
4 Cyllenii galerum ;  
5 errantis ignes feminae.  
6 Jovem, Jovisque patrem.  
7 Lambunt pedes tonitrua.  
8 Et supplicant Beato.

V92\_2 v.1 Subter anhelantes strident Hyperionis ignes,  
2 et vinci roseis Luna fatetur equis.  
3 Inclinat galeam Mavors, cristasque remittit ;  
4 Mercurius prono dedicat ore jubar.  
5 Emendata Venus blanditur sidere casto,  
6 parvula nec terret frigidus astra senex.  
7 Natus inermis agit vacuas sine murmure nubes,  
8 vimque retorquendi fulminis ipse timet.

V92\_3 v.1 Hic verum reor id Maronianum ?  
2 Daphnis sidera calcat, astra Daphnis.  
3 Scintillantia, luminosa ; calcat  
4 Daphnis sidera, calcat astra Daphnis.  
5 Sive erratica, sive fixa ; calcat  
6 Daphnis sidera, calcat astra Daphnis.  
7 Sive immitia, sive blanda ; calcat  
8 Daphnis sidera, calcat astra Daphnis.

V92\_4 v.1 Inferiore via plantis Sol basia figit :  
2 quae tamen ipsa nequit figere, Luna soror.  
3 Bellipotens, junctusque comes Cyllenius Ales,  
4 sidera distantes ambitiosa movent.  
5 Quae vaga coelestes pellex effeminat orbes,  
6 haec cum Saturno victa recedit avo.  
7 Juppiter exambit supplex cinctusque, Beatos,  
8 si modo permittant, lacte lavare pedes.

SCAZON XCII

V92\_5 v.1 Io triumphe ! clarioribus Divi  
2 supposta plantis, astra fixa despectant.  
3 Cytherea, conjux, Falciger, satus Maia,  
4 famulatur error omnium planetarum.  
5 Sol se fatetur usque septies vinci,  
6 supplex chorago Luna se suo lunat.  
7 Jovis ira nulli noxios facit ludos,  
8 et cum tonare vult, capit facultatem.

VAE, VAE HABITANTIBUS IN TERRA. APOCAL. 8.

V93\_1 v.1 Infra planetas infera  
2 potenter attonantur.

- 3       Nostri maris Ceraunia  
4       cautesque verberantur.  
5       A planta usque ad verticem  
6       vix ulla sana rupes.  
7       Ut infremunt ! Ut ejulant !  
8       Optentque vallis esse !
- V93\_2   v.1       In quercus et monstra maris fabricata Cyclopum  
2       tela cadunt, Siculo raptus ab igne labor.  
3       Quid magis accusant Aegaeo in gurgite nautae ?  
4       Et qui Tyrrheno dant sua vela freto.  
5       Semineces redeunt fractis ad littora proris ;  
6       ipsa tonitruali sulphure saxa crepant.  
7       Da vocem scopulis ; clamabunt ; parcite nobis  
8       fulmina. Jam toti funera paene sumus.
- V93\_3   v.1       Hic verum reor illud esse Flacci :  
2       discurrunt, feriuntque summa summos  
3       montes fulmina quae tumultuosis  
4       subsunt nubibus, illa prae dolore  
5       strident tacta, furiuntque, mugiuntque.  
6       Fertur Caspia concidisse cautes,  
7       et Marpesia perdidisse costam,  
8       et trunco Rhodope labare vultu.
- V93\_4   v.1       Improba frenatos equitant quae fulmina nimbos,  
2       aspera sulphureis colla caputque jubis ;  
3       infra cum ventis habitant, pontoque vagantur,  
4       et trepidos nautas ad nova vota trahunt.  
5       Dejicienda tremunt Maris Acroceraunia late,  
6       contorto quoties crine trisulca volant.  
7       Quam non falsa canam, noverunt grandia Cete.  
8       Illorum in dorso cuditur ista faba.
- SCAZON XCIII
- V93\_5   v.1       At vos in alto, vos miserrimae rupes,  
2       in queis tumultus excitant truces venti ;  
3       et Orgiorum festa saltitabundi  
4       rotant trapeta ; vos Jovis supra dorsum  
5       Tonantis arma sustinetis Aetnaea ;  
6       vultus, et ora, verticemque contusae,  
7       ruptaque cor, et saxeum diaphragma.  
8       Vah ! Pindus omnis ignibus sacris fumat.
- QUI AMAT PERICULUM, IN ILLO PERIBIT. ECCLI. 3.
- V94\_1   v.1       Discriminum tot agmina  
2       per aerum feruntur :  
3       quot vere primo convolant,  
4       et concinunt alaudae.  
5       Densis pluit periculis,  
6       et grandinat sagittis ;  
7       quarum scopus praefigeris,  
8       et meta destinaris.
- V94\_2   v.1       Si numerare potes flores fragrantis Hymetti,  
2       innuba quos verno tempore carpit apis ;



3 tunc etiam poteris segetem numerare malorum,  
 4 maxima quae crescit ? Forte metenda tibi.  
 5 Jussa injussa, diu noctuque pericula, denso  
 6 Cum nimbo, in terras praecipitata ruunt,  
 7 quo minime credas, jaculum torquetur ab arcu.  
 8 Elige : nam fies aut Scopus, aut Pharetra.

V94\_3 v.1 Non efflas tot anhelitus vel ore,  
 2 vel naso ! Neque tot pilis Iopae  
 3 criniti caput obsidetur atrum ;  
 4 quin discrimina plura te sequantur,  
 5 incingant, comitentur, antecedant,  
 6 pectus, terga, latus, caputque pulsent,  
 7 vis, credo, numerum putare ? Cessa.  
 8 Vincet copia. Ningit his ephebis.

V94\_4 v.1 Nec vigilas, nec aperta movent discrimina rerum ?  
 2 Ut conferta ruant undique nonne vides ?  
 3 Nec mare tot guttas, Libycum nec littus arenas,  
 4 ovaque tot piscis, gramina campus habet.  
 5 Fulgurat ah ! Fulgur fors dextra tonitrua portat.  
 6 Intonat. Ah ! Tonitru fulmina clausa gerit.  
 7 Fulminat ah ! Quae te Laurus servaverit arbor.  
 8 Conde caput : lapidum ni scopus esse velis.

SCAZON XCIV

V94\_5 v.1 Res est periculosa, vita mortalis.  
 2 Res est severa, quaeque constet impensis.  
 3 Exhibit Orbe, quisquis omnium vexus  
 4 vitare vult discriminum. Tot et tanta  
 5 latent patentque. Aperta pervolant auras :  
 6 natant in undis caeca, qua pedem tolles,  
 7 haerebit uncus, post ephippium Curae,  
 8 post transtra curae, ubique vah ! Striges curae.

INVENI AMARIOREM MORTE MULIEREM. ECCLE. 7.

V95\_1 v.1 Contendit arcus stridulos  
 2 salax puer Cupido ;  
 3 linitque succo spicula  
 4 pejore, quam noverca.  
 5 Tu fixus excussissima  
 6 amas, furisque, canna :  
 7 sed mane sentis vulturem  
 8 in corde saevientem.

V95\_2 v.1 Ales Acidalius, soboles incesta, Cupido,  
 2 vellere cycnaeo tectus ubique volat.  
 3 Vae regno, cujus Rex est Puer iste sagittam  
 4 dirigit, et pharetrae pondera blanda jacit.  
 5 Laedor ais, laedique juvat : nil dulcius isto  
 6 vulnere : festivo pectoris igne fruor.  
 7 Demens : si nescis, fluida quae Cypride putres  
 8 dilaniet fibras, et populetur avis.

V95\_3 v.1 Non crudos minitor Getas, virosve  
 2 natos robore. Disce Pusionem

3 praeverti, toties (scit ipsa Mater)  
 4 fornacis meritum calentis ulmum.  
 5 Hunc psyllum fuge. Spiculum Cupido  
 6 intentat ; fuge : polluit veneno.  
 7 Hoc insanus amas, bibisque, et arduus.  
 8 Heu ! cur est tibi poenitere tanti ?

V95\_4 v.1 Est aliquis leno Cytherea pellice natus,  
 2 aurea, et ex plumbo levia tela gerens.  
 3 Ore Puer, Thrax saevitia, Mars robore, Parthus  
 4 ejaculante manu, dictus Amarus Amor.  
 5 Occidit, quemcunque ferit. Nam pectora parva  
 6 tangit acu, et vere pectora tangit acu,  
 7 ah ! quid amas mortem, gavisus vulneris aestu ?  
 8 Cras poetam Tytii vulturis esca dabis,

## SCAZON XCV

V95\_5 v.1 audis ? Jocari non licet. Puer telum  
 2 fibris minatur. Si receperis fixum.  
 3 Fixum est, peristi. Suxit aspidum virus.  
 4 Furens calore Thaidos tuae gaudes,  
 5 et igne Cypri dulce vulnus irritas :  
 6 sed mox Anubis latrat imus in corde.  
 7 Et donec ardes, adque januam ploras :  
 8 vah ! te Cupido stans in angulo ridet.

STATUE CULTRUM IN GUTTURE TUO, NE DESIDERES DE CIBIS EIUS, IN QUO EST PANIS MENDACII. PROVERB. 23.

V96\_1 v.1 Conviva quadram discute ;  
 2 dapes olent Avernum ;  
 3 ne saeva mandas ostrea,  
 4 offasque Claudianas.  
 5 Jugulat Falerna sardonix,  
 6 nux plena Massicorum.  
 7 Et gemmeis, et fictili  
 8 potabis id, quod odi.

V96\_2 v.1 Nondum te monui, quanti convivia constant,  
 2 mensaque suspectis insidiosa favis.  
 3 Nonnumquam hippomanes coctum apponetur in auro ;  
 4 et quem boletum Claudius edit, edes.  
 5 Mustum bis Stygia vappa, bis sulphure tinctum  
 6 saepe, licet nardo porrigit uncta manus.  
 7 Atqui damnare Bacchum, qui in poplite pestem,  
 8 vel desperatum pectoris ulcus habet.

V96\_3 v.1 Ad convivia principum vocatus  
 2 cultrum apponito gutturi ; vel ensis  
 3 suspensi miser expavesce setam.  
 4 Neu libes data liba : Mors in olla est,  
 5 si libes ; erit, olle, Mors in ollo.  
 6 Pulli palpitat uda frons equini.  
 7 Uvis dulcibus innatant rubetae :  
 8 has ventres saturi mero cavete,

V96\_4 v.1 Ac quoties mensae accumbens cenaveris ovum,  
 2 dic tecum : venient jam mihi mala mala.  
 3 Pro dape Pollucis, pollutum ab Erinnyde sumen,

4 Gorgoneoque scatens crine vorabis olus.  
 5 Si tu a fronte caret meretrix sitis, et bibit omnem  
 6 cellam : tandem etiam Colchica vina bibet.  
 7 A facie colubri, gemmaque agitante venenum,  
 8 tutior inter aquas nat mea Virgo sitis.

## SCAZON XCI

V96\_5 v.1 Fidens coronis omnium popinarum,  
 2 edet bibetque, dum vomat bonam mentem  
 3 vitamque, potaturus obviam Lethen ;  
 4 in auro, in ostro, in ungula propinandam.  
 5 Caper flat extra poculum ; stat hoc intra  
 6 fortasse major, et coniscat, et fetet.  
 7 Ipsum cerebrum si Jovis tibi Juno  
 8 apponat, esse parce. Vah ! venenavit.

## CORONEMUS NOS ROSIS, ANTEQUAM MARCESCANT... SAP. 2.

V97\_1 v.1 At tu rosis circumdate  
 2 viator in popina,  
 3 diis laetus indignantibus  
 4 cuticulam saginas ;  
 5 ceu non foret cum plurimis  
 6 ad plurimos eundum ;  
 7 sed in via pes Appia  
 8 probandus ad choream.

V97\_2 v.1 Interea Sybarita rosis et messe Sabaea  
 2 oblitus, in thalamo deliciisque cubat.  
 3 Iratis fruitur divis, ventrisque suburam  
 4 commovet, et totum devorat unus aprum.  
 5 Nam quid ei virtus, quam censeat asse minoris,  
 6 cui Styx, et poenae sub Styge, sint apinae.  
 7 Primaque cui causa est vivendi et summa, voluptas ;  
 8 sinistra, torus, speculum, forma, puella, Venus.

V97\_3 v.1 Quid lasciva gulae fames pudendae ?  
 2 Emendatur enim ? Quid ? Efferatur  
 3 Saturnalibus, et tomaculorum  
 4 inter tympana spumat alba venter.  
 5 Quando regnat hiems, Apicianis  
 6 mappis induitur, voransque sudat.  
 7 Audax et vetulas vocare Parcas  
 8 ad saltum, praeit immemor futuri.

V97\_4 v.1 At tu mollis Arabs, teneraeque cunicule pulpae.  
 2 Luxuriose bonae vivis in aede Deae.  
 3 Vivo hodie dicis : nam cras vix corvus habebit.  
 4 Gliscat, et e crasso corpore stagnat adeps.  
 5 Suntne aliquid Manes, et poma fugacia in undis ?  
 6 Lusus Sisyphiae quis lapis ille pilae ?  
 7 Horrida Cappadoces in eremo proelia tentent :  
 8 Mars meus haec mandat. Vive, ede, lude, bibe.

## SCAZON XCVII

V97\_5 v.1 Late minamur. Dantur interim bulbi ?  
 2 Et ostreorum gratiosa putredo

3 ungit palatum ; despicitque convivas  
 4 pavo levatus ; et Philoxenus saevit,  
 5 nigrasque ranas Tartari, facit ranae.  
 6 Futura laudat, utiturque praesenti.  
 7 Ceu nec videndus, nec trahendus a Fatis.  
 8 Vah stulte ! nec sunt lusca Fata, nec manca.

TENENT TYMPANUM ET CITHERAM, ET GAUDENT AD SONITUM ORGANI... JOB. 21.

- V98\_1 v.1 Festiva spumas orgia,  
 2 amystides lacessis ;  
 3 satur manu trementia  
 4 pectis micante fila ;  
 5 strepensque Cypri cymbalis,  
 6 Niloticisque sistris,  
 7 tecum neges aheneum  
 8 perire posse Mundum
- V98\_2 v.1 Phasiacae volucres, et phoenicopterus adsunt.  
 2 Cinnama nube pluunt, palmite vina fluunt.  
 3 Restagnant urnae : fidibus testudo sonoris  
 4 provocat alternos pollice tacta pedes.  
 5 Eia, genas, Veneris pingamus sanguine ! Quidquid  
 6 calcatur pedibus, fiat odora rosa.  
 7 Omnia prata sciant communis gaudia Maii ;  
 8 mensis hic aeternus, sicut et Orbis, erit.
- V98\_3 v.1 Ergo jacta anima est. In omne Bacchi  
 2 passu quadrupedante crimen itur,  
 3 regales pateras merum coronat.  
 4 In carchesia plena se profunde  
 5 mittit longa sitis. Redux ab imo,  
 6 ceu plebs in Phario canit Canopo.  
 7 Quo nil helleboro magis recenti  
 8 curandum : properare nescit annos.
- V98\_4 v.1 Littera dat cenas ; subeuntque tomacula, turdus  
 2 pulli, perdices ; anser, aprugnus, anas.  
 3 Sed liber sine lege furit. Chia atque Falerna,  
 4 sit modo Fabricii consulis uva, sapit.  
 5 Jamque intrat Corybas, jam spirat tibia buxi,  
 6 plauditur in toto vox sonat una choro.  
 7 Nocte bibo tota, redeunt convivia mane :  
 8 divisum barathrum cum bove venter habet.
- SCAZON XCVIII
- V98\_5 v.1 Acerra turis, est Apicio plenae  
 2 nidor culinae. Jamque Bacchus hauritur  
 3 plenis culullis et capacibus trullis.  
 4 Oculis gulosis devoratur emblema.  
 5 Sitiunt et aures, et bibunt, et arrectae  
 6 inebriantur musteo sono vocum.  
 7 Creduntque nunc et semper esse idem tempus :  
 8 vah ! Mundus est in cymbalis, et insanit.

## PRAETERIT ENIM FIGURA HUIUS MUNDI. 1. COR. 7.

- V99\_1 v.1 Tarsense vas oraculo  
2 diviniore tinnit ;  
3 mundi figura praeterit  
4 aes personat Corinthi.  
5 Audis ? Figura praeterit.  
6 Audis ? Figura Mundi.  
7 Mundi figura perfidi,  
8 vani figura mundi.
- V99\_2 v.1 Sed sistris fidibusque fidem praepono, tubamque  
2 Tarsensem. Longe clarius ista sonat.  
3 Labitur irrevocanda dies ; Mundique figura  
4 praeterit. Hoc ipsum quod loquor, inde venit.  
5 Ede : figura quid est ? Madido quam pollice duco.  
6 Qualiter in mensa picta stat Aula mero.  
7 Ede : quid est Mundus, nisi plurima fraudis imago ?  
8 Formosis facies circumamicta dolis.
- V99\_3 v.1 Atqui non ita personare sacros  
2 vates audio. Quippe Paulus inquit.  
3 Aures arrige pendulas. Quid inquit ?  
4 Mundi praeterit et perit figura ?  
5 Hoc inquit. Repeto : cadaverosi  
6 mundi praeterit et perit figura.  
7 Hoc inquit. Bona vox : abimus ambo.  
8 Mundi praeterit et perit figura.
- V99\_4 v.1 Tolle puer crotalos : nam Pauli sanctior echo  
2 vasis ab electi, quod quatit, aere sonat.  
3 Praeterit instabilis mundi, fallaxque figura  
4 praeterit. Hoc unum praeteriisse nega.  
5 Expende has voces : mundi, fallaxque figura,  
6 praeterit hinc disces ; quid cupias, quid ames,  
7 ultima perfidiae durat nota ; regnat in Orbe  
8 Punica sola fides, Punica nulla fides.
- SCAZON XCIX
- V99\_5 v.1 Procul profani, feminaeque Curetes,  
2 exeste molles ; ad Corinthios prima  
3 electus Orbis bucinator exclamat :  
4 " Mundi figura praeterit ". Perit vani  
5 figura Mundi. Verte verba et inverte :  
6 semper figura vana praeterit, semper  
7 figura Mundi vana praeterit vani.  
8 "Vani figura vana praeterit Mundi."

## CURAVIMUS BABYLONEM, ET NON EST SANATA. JEREM. 51.

- V100\_1 v.1 Cantantur haec, plorant ut haec,  
2 scribuntur et leguntur.  
3 Videntur haec, ridentur haec,  
4 et lecta negliguntur.  
5 Caduce fluxa vanitas  
6 quanto paratur auro !  
7 Aeternitas dupondio

8 non aestimatur uno.

V100\_2 v.1 Ista super studiis hominum vitaeque canentes,  
 2 flevimus in risu, risimus in lachrimis.  
 3 Quid prodest vatem noctes junxisse diebus ?  
 4 Lectori bilem si movet oda meo.  
 5 Vana petens vanus, vanis vanescit in annis.  
 6 Tantum nugarum est jam pretiosa sitis.  
 7 Sit caelum caeli Domino, proclamat avarus ;  
 8 in terris, hominum filius esse volo.

V100\_3 v.1 Hanc et Primus Anacreon canendam  
 2 invenit, cecinitque primus oden ;  
 3 et fortes elegi gemunt, et acer  
 4 scazon exprobrat, et queruntur uno  
 5 omnes Hendecasyllabi dolore  
 6 sed quid Mundus ad haec ? (Quod ante) ridet.  
 7 Vates, carmina, veritas probantur.  
 8 Nugae crimina, vanitas amantur.

V100\_4 v.1 Finio. Calliope lassum solare poetam.  
 2 Dum canimus, lachrimae moesta per ora fluunt.  
 3 Mens mihi praesagit ; passim ridebimur ; et quos  
 4 edidimus versus, hos quoque Momus edet  
 5 quid ? Si aliquis dicat ; video meliora proboque ;  
 6 sed mihi vana placent, deteriora sequar.  
 7 Ah ! Emitur vallis lachrimarum plena talento :  
 8 uno cum numo posset Olympus emi.

SCAZON C

V100\_5 v.1 Cecini. Canendo nempe plurimos movi.  
 2 Sed sive movi, sive forte non movi :  
 3 cecini, quod ipsa veritas, quod et res est.  
 4 Cum scala caeli, cumque Orionis prostet  
 5 emendus ensis ; gugio, nuces, pupae,  
 6 acus emuntur, sulphurata Judaei,  
 7 arundo longa, vah ! Volubiles nugae.  
 8 Vah ! vanitatum vana vanitas. Vah ! Vah.

\*\*\*\*\*

AUCTOR, FINITO CERTAMINE, PUGILES VERSUS COLLAUDATOS DOMUM DIMITTIS, CUM VAPPA, FUMO ET VANNO.  
 PHALEUCIA.

V101\_1 v.1 Dulces, hendecasyllabi, sodales,  
 2 quos tanto Genius potens amore,  
 3 et mentis sacer illigavit ignis ;  
 4 ut multi numero quidem, sed omnes  
 5 Pollux unicus unicusque Castor  
 6 sitis Vatibus, unicusque versus.  
 7 Versus cum violis rosisque natus,  
 8 Versus de casia crocoque primo,  
 9 vivens inter aves sagaciores ;  
 10 aut nunquam moriturus, aut sonoro  
 11 cum Cynnis moriturus in Caystro,  
 12 formosi juvenes et elegantes,  
 13 arcum solvite. Pugna jam peracta est.  
 14 Qua vestrum cumulabo laude nomen,

15       submissique modestiam pudoris ?  
 16       Docti plaudere Martialis Issam.  
 17       Et colludere passeri Catulli,  
 18       et Stellae Paphiam sequi columbam ;  
 19       dignati modo pessimum poetam,  
 20       certamen subiistis, aleamque  
 21       Phoebi iudicio periculosam :  
 22       nullis sumptibus interim molesti.  
 23       Contenti casula, unica fenestra,  
 24       mensa paupere, rustico salino.  
 25       Quanto lautius hospites haberet  
 26       magnus Sabinus : vel in vireto  
 27       Bidermanica Musa Tusculano,  
 28       si noto citharae sono vocaret.  
 29       Ad convivia laureata, Romam.  
 30       Germanas ego (nam fatebor) offas,  
 31       et coliphia devoranda luctae,  
 32       et me sollicitum dedi Philaemon,  
 33       Terraemunera. Nec tamen notavi  
 34       ullius faciem fuisse laesam :  
 35       formosi juvenes et elegantes,  
 36       aetatis rosa, liliisque veris.  
 37       Praecox indolis ingenique spica ;  
 38       pulchri sanguinis uva delicata.  
 39       Musae gratia prima mitioris,  
 40       Musae delictum severioris,  
 41       jam nunc ire domum licet. Viator  
 42       si quis quaesierit, poeta vester  
 43       ut vivit, macer ille, torvus ille ;  
 44       respondete, valet poeta noster,  
 45       ac vivit, macer ille, torvus ille.  
 46       Hinc spes obruit undequaque multas.  
 47       Scitanti, quid agit caducus ? Aevi  
 48       nostri, dicite, de tribus capellis,  
 49       me tot somnia somniare vana ;  
 50       et tot somnia somniare vera :  
 51       quot Nox sidera dicit ad choreas.  
 52       Quot se flumina dividunt per Orbem.  
 53       Quot pennae liquidae secantur auras.  
 54       Quot Virgo Dea montium Napaeas,  
 55       quot Nymphas numerat marina Tethys  
 56       quot Nymphae caput affluit capillis.  
 57       Quot telis pharetrae rubent Dianae.  
 58       Quot veris Erythraea concha gemmis,  
 59       quot fi et is radiat Falerna vitis.  
 60       Quot matuta jacit per arva guttas.  
 61       Quot calthas Zephyrus serenus efflat.  
 62       Quot silvae foliis virent Cadanae.  
 63       Quot frondes apis unaquaeque tondet.  
 64       Quot flores apis unaquaeque carpit.

AD MAGNA AMORUM MATRIS ELEGIAE GEMELLAS FILIAS CARMEN EUCHARISTICUM.

V101\_2 v.1       Vos quoque Pierides, duplex elegia, poeta,  
                   2       cujus adornastis castra, valere jubet.  
                   3       Vester ego vates. Vestrum contendite vatem,  
                   4       cum canitis, Musas inter habere novem.

5       Seu dici pictis gaudetis Amazones armis ;  
 6       laudabit vestras Penthesilea manus.  
 7       Seu tenerae vultis nomen retinere puellae ;  
 8       Alba gerit vinctis utraque sarta comis,  
 9       utraque victrici planta libavit arenam,  
 10       scilicet ad numeros officiosa meos.  
 11       Parcite : decursu tamen haud reticenda notanti  
 12       Hippomenes. Quae sit nunc Atalanta, scio  
 13       prima per Aoniam, rigidis maturior annis,  
 14       cautius est nobis currere visa viam ;  
 15       inque palimpsesto rubra signasse litura,  
 16       semita quae trito calle premenda foret,  
 17       altera difficilis certa statione teneri,  
 18       quam dedit ipsa sibi lege cucurrit iter.  
 19       Nuda volaverunt sparsi per colla capilli :  
 20       et poteram soccos saepe videre pedum  
 21       saepe etiam timui, dum vult audacior esse  
 22       ne fieret tacta fabula turpis humo.  
 23       Tutius o medio, clamabam, tutius ires,  
 24       aurea quae captas, devia poma nocent  
 25       o cave, ne gressum fallas temeraria saltu,  
 26       fractaque curriculi destituare rotis.  
 27       Parcius exagita Senium, mea Musa, sepultum :  
 28       vatibus occurris quam truculenta tuis !  
 29       Quid stringis gladios calathis assueta Minervae  
 30       non bene conveniunt viribus arma tuis.  
 31       Fulvia vulnificum vagina liberet ensem  
 32       ausa tuum Tulli figere Marce caput.  
 33       Aut Rosimunda suum contra galeata maritum  
 34       inque venenato bis scelerata mero.  
 35       Projice tela manu soboles genitricis amorum  
 36       vel geme, vel lepido carmina mollis ama.  
 37       De thiasis, et quod rixosum spargis acetum,  
 38       si nescis, possunt iste, vel iste, queri :  
 39       dico, queri possunt, verbis ignosce : queruntur  
 40       sunt, qui te doctam fortiter esse negant,  
 41       sunt, quibus immodice nugas videaris amare  
 42       et faciles sanuas, difficilesque jocos.  
 43       Adstiterat Momus, qui, dum spectator adessem  
 44       haec nisi sit meretrix, fulmine tangar, ait  
 45       tangere fulmineo, dixi, saevissime telo,  
 46       virgineam laceras suspiciose togam.  
 47       Neutra timet castae velari frondibus arae.  
 48       Aut Veneris sensit tacta calore faces,  
 49       quod quatiant pedibus terram : quod laetior una  
 50       festivos hilari misceat ore sales ;  
 51       id nova materies, meaque indulgentia, suasit,  
 52       sanguis et in vena qui juvenile tremit  
 53       an pereat ! Quicumque minax et semper acerbus,  
 54       infesto teneras vellicat ungue rosas.  
 55       Si, quoties nitido derivat gaudia vultu  
 56       femina, continuo diminuat honoris :  
 57       ne Diana quidem sit virgo triformis et insons.  
 58       Saepe lavat corpus flumine, saepe salit.  
 59       Quamvis cum Faunis versetur Oreadas inter,  
 60       nuda tamen triplex Gratia virgo manet.  
 61       Sic ego vos tueor, graciles, mea cura, Sorores.  
 62       Vester ero : Mater si quoque vestra mea est.



63 Dii melius. Forsan me non amat illa, sed odit.  
64 Et putat aerisonas non nisi velle tubas.  
65 Ac citharis blandisque modis fidibusque relictis,  
66 Sola cothurnato bella movere pede.  
67 Ominor : a vobis redeuntibus, unde venitis ?  
68 Cur pharetram geritis tinctaque tela ? Petet.  
69 Audito (perii) vel solo nomine nostro  
70 exspuit, et tremula plurima voce rogat.  
71 Ecquid agit tetricus rabidi Juvenalis alumnus,  
72 Simia Papinii grande sonantis opus ?  
73 Semper in arma ruit, semper livescit iambis.  
74 Nunquam vult nostro mitius ore loqui.  
75 Hic opus inventis. Si quid mea vota valebunt,  
76 vos precor Aonides, dicite, Mater, amat.  
77 Non est terribilis, qualem mala Fama ferebat.  
78 Castalias placidi navigat amnis aquas.  
79 Perlege, quae mittit (dabitur quod Epistola praesens  
80 continet) est certis scripta tabella notis.  
81 Si licet et fas est, fluxos Dea sparsa capillos,  
82 undenis pedibus basia figo tuis.  
83 Da mihi te facilem, neque sis inamoena poetae.  
84 Tam pulchram faciem, non decet ira gravis.  
85 Nec sum adeo tristis solitoque indignus amore  
86 comis enim verbis et Macer esse potest.  
87 Nec sic Virgilius, nec Statius urit amantem,  
88 quique suo florens de Stilicone canit ;  
89 quin ferar interdum rigui Sulmonis in hortos,  
90 scissaque Peligno vomere rura colam  
91 et videam, mirerque focum mensamque Tibulli,  
92 quique tuus vates Umber ocellus agat.  
93 Testor Pegasides, et te, nisi dura resistis ;  
94 saepius invideo, quod meruere legi,  
95 Tu modo ne falso famae nos crimine figas,  
96 et dicas aliis : iste protervus homo est.  
97 Contemnit molles Elegos humilesque myricas :  
98 et tantum Thebas et sua bella tonat,  
99 crede mihi, patior facile et tolerabile Numen.  
100 Mitior in nostro jam natat ore Deus.  
101 Quod juvat. Amplector. Scio. Non in montibus altis  
102 fraga, sed in viridi dulcia valle legi.  
103 Arma canant alii stringantque ad classica ferrum  
104 Pacis ego Charites blandaque castra sequar.  
105 Non ea, quae Cyprius ponit damnosa Cupido,  
106 montis in Idaei conspicienda jugo ;  
107 qualia sed Solymam sapiens Hermannus ad Urbem,  
108 inque Palaestino Belga locavit agro.  
109 Discedant Galli, lascivaque turba Catulli.  
110 Hos sua flamma coquit. Me meus ardor habet  
111 sanctior in nobis calet et formosior ignis.  
112 Nympha suo vultu quem Galilaea movet,  
113 casta decent vates et sobria vota togatos ;  
114 ut Cycni cantus. Sic nive tota manus,  
115 credis ? Olorina scribes utimur ala.  
116 Qui dedit hunc calamum, suaviter ille canit.  
117 Tam bona sis utinam, similique insecta colore,  
118 quam sit vel vatis penna, vel hujus avis,  
119 flectere Diva, precor, vultumque adverte petenti.  
120 Auspiciis liceat nectere verba tuis.

121 Quae numeris modulata novis, lachrimisque rigata,  
 122 includat phiala Parthenopaeus Amor ;  
 123 et tibi pectenti discrimina mille comarum,  
 124 offerat ad speculum, florida dona, tuum.  
 125 An dubitabis adhuc fidei te credere nostrae ?  
 126 Heu mihi ! sollicito pectore multa times.  
 127 Objicis ignavi temerata crimine fastus,  
 128 teque tribus lustris displicuisse mihi.  
 129 Displicuisse ? Metus nisi sit vanissimus iste ;  
 130 effluat e digitis candida penna meis.  
 131 Dirigeam totus ; quaeque est ad tempora Daphne,  
 132 siqua viret, nulloserta movente, cadat.  
 133 Tympanaque et bovis accrescant palearia pinguis,  
 134 utque saginati ludat imago popae.  
 135 Quod tamen e medio surgens Agathyrse sepulcro,  
 136 scis, qua detester flebile voce malum.  
 137 Sed quibus accusor causis, quo iudice damnor ?  
 138 Qui reus ex culpa est, se sciat esse reum.  
 139 Papinium verso torquentem nubila cantu.  
 140 Lux mea : cur dici Papinianus amem ?  
 141 Me juvenem, fateor, rapuit Cadmaea juvenus ;  
 142 magnus ubi Tydeus pro Polynice furit.  
 143 Lucani lituos civilis gloria suasit,  
 144 cumque suo genero qui socer arma tulit.  
 145 Corduba jactavit Senecam, voluitque cothurnos  
 146 a me laudari praetereunte suos.  
 147 Fecimus hos magni, sed ad huc tua gloria salva est.  
 148 Audiatur ipse licet me stimuletque Maro.  
 149 Ah ! quoties mecum repetens, quid Marcia Bruto  
 150 dixerit, optabam te potuisse loqui.  
 151 Ah ! quoties, cur non Phaedram furiaverat exsul ?  
 152 Quem tulit Euxini navis iniqua matis.  
 153 Ah quoties ! numquid non ejus flammea Dido,  
 154 certabit flammis, Mantua docta, tuis ?  
 155 Mincius et Sulmo, vestros confundite fontes.  
 156 Pegaseos latices flumen utrumque vehit,  
 157 audio, quid dicas cur non gemis ipse, modisque  
 158 imparibus ludis ? Si gemuisse decet.  
 159 Nitimur in vetitum. Cassandram plangere jussus,  
 160 risero, ridebunt, me lachrimante, joci,  
 161 propositis sistris, fortasse Agamemnona tentem.  
 162 Auferer oblato carmen Achille Paris.  
 163 Cumque Jovis volucres aliis agitare videbor,  
 164 mensuram citharae parva columba dabit.  
 165 Nec semel aut iterum, sed saepius impare versu,  
 166 materia questi conveniente sumus.  
 167 Dumque meas Helicon curas conspexit ad Oenum,  
 168 obstreperit assiduis pons ubi mersus aquis :  
 169 purgata est Veneris monstro Bethlemia rupes,  
 170 perque Tyrolenses flevit Adonis agros,  
 171 intumescere novis stagnantes imbribus amnes,  
 172 et planctu valles insonuere cavae.  
 173 At cessasse nocet. Mea lux : quis semper eadem  
 174 unus oberrabit percutietque fides ?  
 175 Ipse tamen Phoebus nunc his, nunc utitur illis ;  
 176 diversamque chelyn Pastor et augur habet.  
 177 Ut taceam turbas, et nostri saecula ferri,  
 178 agmina morborum, funereamque luem :

179 ista truces faciunt animos, et ad horrida ducunt,  
 180 et vellunt hederas, mitia signa, comis.  
 181 Adde : quod ipse mei non sim, dulcissima, juris.  
 182 Scribo, quod ille jubet. Canto, quod alter amat.  
 183 Seu jubeor festas sponsis attollere taedas ;  
 184 assurgit casto pronuba flamma toro.  
 185 Seu segmentatis vagitum sistere cunis :  
 186 more tuo, Corybas, cymbala pulso manu.  
 187 Sive Jovi. Nostro surgentia condere templa :  
 188 cogor, ut Amphion, aedificare lyra.  
 189 Proelia quod cecini de muribus aspera ; non haec  
 190 nostra, sed alterius dira cupido fuit.  
 191 Jephthaden dedimus, populo spectante, rogati.  
 192 Illa quoque armatae vota fuere preces.  
 193 A duce sic miles, sic dux a rege rogatur,  
 194 non fuit ingenio libera Musa suo.  
 195 Sed dedimus scaenas, et scripta tragoedia visa est,  
 196 adgemuitque suo victima Virgo Patri.  
 197 Cur autem stomachum moveat tibi triste theatrum :  
 198 paene modi tragici sunt, Elegia, tui.  
 199 Tu vatios animos. Ex te nascuntur amores.  
 200 Feminum genus est Spes, Timor, Ira, Dolor.  
 201 Quo magis affecto lepidas tentare Camoenas,  
 202 dulcia tristitiae gaudia mixta meae.  
 203 Tantum blanda fave. Posthac culturus amicam,  
 204 prosequar et Thymbra Castaliisque rosis.  
 205 Unica mulcebis nostros Elegia labores,  
 206 qui dolet ut cantet ; mitius ille dolet.  
 207 Ut mihi non desunt umquam mala plura ferenda,  
 208 sic quoque non deerunt plurima flenda mihi.  
 209 Tu partem lenire potes, tu sistere curas,  
 210 Tu luctu pluvios fallere sola dies.  
 211 Ludemus pariter, pariterque movebimus auram,  
 212 quae strepit ad Clarium religiosa nemus.  
 213 Et modo describam Nazarenae Virginis ignes :  
 214 prae qua non Phyllis, non Amaryllis amat.  
 215 Et modo narrabo. Quid non narrabo ? Sed obstat  
 216 copia : narrabo quae tibi cunque placent.  
 217 Tecum et delicias, et quae jam dicere nolo,  
 218 (non nisi nos soli novimus illa) canam.

SCENA ULTIMA, SIVE EPILOGUS DE VANITATE MUNDI. POETA, SCAZON.

POETA  
 V101\_3 v.1 Aplustre Scazon floribus coronasti ?  
 SCAZON  
 2 Res extulisti ? Stat carina fundata ?  
 POETA  
 3 Mandata, sicut vina Bacchus, exhausti.  
 4 Amante Scazon et tremende non paucis,  
 5 cum quo tot annos spiritusque decoxi ;  
 6 age, sub comante populo (vides Nymphas  
 SCAZON  
 7 abiisse) considamus Olpa procumbe.  
 8 Scazon sedere nescit. Integer, totus  
 POETA  
 9 quantusque vivit, vivit iste pes stando.

SCAZON  
 10 Et stare possis, qui pedes habes septem  
 POETA  
 11 sex nempe. - Totus. - Nempe. - Quantum es monstrum es.  
 SCAZON  
 12 Vah ! Ipse memet, credo, funditus novi.  
 13 Tremis et vacillas. Si quis usus est quintae  
 14 rotae in quadriga ? Et septimo pedi, Scazon,  
 POETA  
 15 erit. - Anne caecus Abderita sum factus !  
 16 Numerare nosti ? - Quippe ni ? Maris guttas  
 POETA  
 17 etiam, et virentes, silva quot comas profert.  
 18 Conchyliata diluere gutturem sputa  
 SCAZON  
 19 Quis iste versus ? Computa notas monstrum ?  
 20 Dehisce tellus, et profunda Scazontem.  
 21 Si qua est sub imo Acheronte, vallis, absorbe.  
 22 Et tu tremenda, tu securis Anglorum,  
 23 quae capita regum scindis, hunc pedem trunca,  
 24 Cum laude facies istud. - Olpa procumbe  
 SCAZON  
 25 ocreaque lata dedecus tuum cela :  
 POETA  
 26 sed sive mandes, sive roges ; tamen stabo.  
 27 Sta. Me quietum lassitudo componit.  
 28 Confabulemur : misceamus utrimque  
 29 sine fraude sensa. Grande mentis arcanum  
 30 et dulce pando conscius sacramentum  
 POETA  
 31 animus volutat. - Quod volutat, exprome.  
 SCAZON  
 32 De vanitate multa lusimus, Scazon.  
 33 Et plura multis. - Vanitas inaurata,  
 POETA  
 34 et haec amara est. - Credo. Nam subest fucus.  
 POETA  
 35 Fastidiosa saepe. - Fare, quo tendis ?  
 36 Laboriosa. - Cur caput scabis laeva ?  
 POETA  
 37 Quo vergit anceps mentis anxiae libra ?  
 38 Aiunt poesin. Serta cujus ambimus  
 39 frondosa, vanitatis esse nutricem.  
 40 Quod si Poesis vanitatis est nutrix ;  
 SCAZON  
 41 statui remissis abdicare me Musis.  
 42 Prius per hortos et soluta buxeta.  
 43 Mari relicto, se movere Delphinas  
 44 cernam. Fretique Punicos Magellani  
 45 innare barros fluctibus. Quid expressit  
 SCAZON  
 46 Scelus hoc ? Resorbe. - Non resorbeo. Dixi.  
 47 Quae Daedalea remigem ferat cera !  
 48 Aut belluosi taurus ad sali fines,  
 49 inter frementem portet Aeoli turbam !  
 SCAZON  
 50 Deliberasti ? - Non semel. - Diu ? - Saepe :

## POETA

51 diu ? - Senatu plurimo. - Diu, quaero.  
 52 Quot lustra poscis ? Consilii mei partes  
 SCAZON  
 53 non majus unus, aut December absolvit.  
 54 Quis auctor ? - Adsum. - Nescias quid accuses :  
 55 succumbo famae. Lancinat pedem spasmus.  
 56 Si te rogari sustines ab antiquo  
 57 Scazonte servo ; mentis improbae muta  
 58 ferale fatum. - Fabulam canis surdo.  
 59 Me dura Virtus. Obstinavit in marmor.  
 60 Prius Zazinthus colliquescet in flumen ;  
 61 dabiturque vallis altior suo monte  
 62 serpensque cervo fidet, et canis cervus,  
 SCAZON  
 63 Canis leoni, territus leo gallo.  
 64 Tam contumaci mente ! Durior saxo  
 65 non mollieris, nec moveberis fletu  
 66 novem Sororum ? Quid Thalia, quid Clio  
 67 Eratoque dicent ? Moesta Pieris sparsos  
 68 effusa crines, qualis atra Jocasta,  
 69 per tela vadet et per hosticos ignes ;  
 70 te voce quae situra, te citatura  
 71 clamore magno. - Mene serve deridet ?  
 72 Ut quem decoro nulla strinxerit vitta  
 73 laurusve nexu, me deabus argutis  
 74 fuisse cordi non tenerrimo credam !  
 75 Et his puellis major eminent nasus,  
 76 ac se sagacem quaeque novit et doctam.  
 77 Sunt et superbae, felleisque sarcasmis  
 78 vexant alumnos. Forte dicet Euterpe :  
 79 Euax ! abivit longus iste Germanus.  
 80 Excessit erupitque fessus, et nostram  
 81 purgavit aulam. Quas molestias toto  
 82 haec umbra tractu temporis facessivit !  
 83 Cum mane portam Porticumque Parnassi  
 84 pulsavit ingens : saepe simplicem risi.  
 85 (Bis, ut notaret.) Ad cubile deduci  
 86 nostri rogabat et sacrarium Phoebi :  
 87 ut inde vates laureatus exiret.  
 88 Quis Allemannis expediverit "Chaire"  
 89 Quis impolitas expoliverit linguas ?  
 90 Quis dederit artem gratiamque fingendi ?  
 91 Argentis Aethrae filii, maritante  
 92 Septentrione frigidae sinum terrae.  
 93 De tabe Brumae Stiriisque concepti,  
 94 ut igne flagrent, quo calor soluentur ?  
 95 Quis excitabit ? Unde carmen accendent ?  
 96 Quas entheatae mentis expuent flammis ?  
 97 Tusci Latino temperantur a caelo.  
 98 Tuscis Falernae sanguis integer vitis,  
 99 plenam Lyaeo masculo replet venam.  
 100 Hispana pubes Sole patrio plena,  
 101 sanctos furores Delphica bibit concha.  
 102 Teuton lacunam potat hordeo coctam.  
 103 Quot ille venter spument aureos versus ?  
 104 Qui maceratis frugibus saburratus,  
 105 velut Suevus messor alliis turgens,

## SCAZON

- 106 fuliginosis faecibus, sitim mactat :  
 107 proh ! insolentes quas imagines rerum,  
 108 quae monstra formas ? Tam libet tibi falli !  
 109 Per dulce quidquid et sacrum fuit, tandem  
 110 omitte somniare Cyrrha Germanis  
 111 semper patebit. - Nunc et obstrui possit,  
 112 me non vetante. - Stat. Sedetque tam certo  
 POETA
- 113 abire. - Certo. - Spreto Apollinis sceptro ?  
 POETA
- 114 Quo pascit agnos. - Spreto Apollinis plectro ?  
 POETA
- 115 Quo ludit haedis. - Spreto Apollinis Templo ?  
 POETA
- 116 Aranearum. - Spreta Apollinis lauro ?  
 POETA
- 117 Exarefacta. - Spreto Apollinis fonte ?  
 118 Sicca palude. - Si fugis, time saltem  
 119 scutum Minervae, Gorgonemque praetentam ;  
 120 qua nunc obumbrat limen, et tuas pigro  
 121 pedes rigore detinebit implexos  
 122 sed finge, nullas Palladem moras sparso  
 123 assibilare crine : quam viam carpes  
 POETA
- 124 quid ages solutus vinculis poetarum  
 125 negotiosus otiabor in libris.  
 SCAZON
- 126 Privatus altum dormiam, velut Sylla.  
 127 Quis tecta pandet hospiti reo, - mecum  
 128 habitabo ; felix, involutus hac pelle,  
 SCAZON
- 129 qua veste, quid dant ; amplius tuae Musae.  
 130 Diadema florum. - Quos capella detonsos  
 131 habitabo ; felix, involutus hac pelle.  
 SCAZON
- 132 Qua veste, quid dant amplius tuae Musae ?  
 133 Diadema florum. - Quos capella detonsos  
 134 absumat uno prandio. Vir hircosus  
 135 contemnat, uda flaccidos terens barba.  
 SCAZON
- 136 Adalta Scazon, evehamur erecti.  
 POETA
- 137 Quid altius fert. Terra monte Parnasso ?  
 SCAZON
- 138 Sunt turba vates esurire damnata.  
 POETA
- 139 Dii cura vatium sunt, et hi Deum cura.  
 SCAZON
- 140 Mordere malim fraga, quam tuam Laurum.  
 POETA
- 141 Et si. Quis est Philoxenus, bovem malit.  
 SCAZON
- 142 Sunt tot poetae, quot fuere jam sturni.  
 POETA
- 143 Vix tot poetae, quot fuere Phoenices.

## SCAZON

144 Pauci sequuntur Patris Ennii castra.

## POETA

145 Ad aratra plures vomeremque sunt nati.  
 146 Dicuntur insanire, qui canunt. - Certum est.  
 147 Sed sapere tunc vel maxime, haud minus cerrum.

## POETA

148 Quod vile vulgus nescit, et stupent ursi.

## SCAZON

149 Levis est negoti, verba concatenare.

## POETA

150 Cadaverosa, bruta, lusca : concedo.  
 151 Quaecumque : sive pulchra, sive non pulchra,

## SCAZON

152 limosa Nilo, sive tota Pactolo.  
 153 At non sub illis si reconditur Numen,  
 154 et ex Sibyllis fata spirat afflatis,

## POETA

155 supraque nubes mentis alveum gyrat !  
 156 Accedit horror servitutis immanis.  
 157 Coguntur ejulare, quando ridendum ;  
 158 ridere, quando flere suavius mallent.

## SCAZON

159 Qua Vanitate nil acerbius vidi.

## POETA

160 Id nemo praeter Sabbatharios credat.  
 161 Id constat orbi. - Scilicet. - Puer vagit :  
 162 vagi poeta. Fer papaver admorsum.  
 163 Florat puellus. I. Poeta complora,  
 164 madidumque rostrum maestus applica cunis !  
 165 Motu creetur dulce somnus infanti.  
 166 Infunde cantum temporis soporando.  
 167 Expergefacho melleas para pultes.  
 168 Ni vapulare laureo velis fuste.  
 169 Quod si calentes nuptias Hymen nectat.  
 170 Suoque Juno tertium Jovi nubat :  
 171 ades poeta. Verna sarta compone.  
 172 Accende pinum, missiles nuces sparge :  
 173 torique sacris cinge vinculis fulcra,  
 174 Pomponii trabalis ingruit pompa ?  
 175 Poeta, siccis socculisque velate,  
 176 sic pantomimus noster, et sales pinse,  
 177 exsculpe spectatoribus tuis auras :  
 178 totoque vultu in histrioniam verso,  
 179 buccis sonoros Aeoli move risus.  
 180 Decessit Hic aut ille ? Dicit extincti  
 181 irrisor heres : verbera colu Parcas.  
 182 Cur rupit immatura fila ? (Fors ridet,  
 183 Tacite jocosus in sinu Crumenarum,  
 184 lacrimas que fingit) da nigerrimo scriptos  
 185 carbone versus. Vende quid dabis ? Numum.  
 186 Et non trientem turpis Euclio ? Nullam  
 187 ex asse partem ? Vel Charon reclamabit.  
 188 Quid ad ista Scazon vane, naris obtusae ?  
 189 Stupescis instar bubali, cui cornu

## SCAZON

190 fregit securis, aut adulter obnixus.

191 Et me loquentem, si vacabit, ausculta.  
 192 Sermonibus sum plenus, et coarctat me  
 193 uteri tumentis spiritus. Meus venter,  
 194 ut dulce mustum. Quod lagunculam rumpit.  
 195 Quid est ab omni parte tam sacrum et sanctum  
 196 aut tam beatam liberumque maerore ?  
 197 Nullos ut umquam sustinere cogatur  
 198 patique manes anne sola pistrino  
 199 damnata sit poesis, ut molam serva  
 200 recincta verset ! Omnium est idem fatum  
 201 scientiarum, nulla non habet rugas,  
 202 gemitque parturitque durius cerva,  
 203 et obstetrice vanitate fit Mater.  
 204 Mathesis astra spectat, et globum Lunae  
 205 periculoso fixa lustrat obtutu  
 206 excentricisque centricisque suspensa,  
 207 noctes fatigat, et simul fatigatur.  
 208 Tremens et algens ad nivosa sarraca  
 209 tardi Bootae, tussiente Saturno,  
 210 foedata cujus frigidissimis sputis.  
 211 Caput reducit machinasque Tychonis  
 212 sophus Ambulator jam comas manu vellit,  
 213 jam labra mordet irruens Stagiritae  
 214 lumbis : ut exploretur unicae verus  
 215 recalcitrantis syllabae parens Arles.  
 216 Quid ? Cum laborant nauseantque jejuni,  
 217 eviscer are semper exta cancrorum,  
 218 crustis apertis, spe cadente delusi,  
 219 qua pinguiorem devoraverant bolum.  
 220 Quam vile, dixit ex fatentibus quidam  
 221 interrogatus, vile stramen incido  
 222 premunt dolores interim, coloresque  
 223 vero latenti, qui supernatant, quaerunt  
 224 olim repertos, milliesque detritos.  
 225 Jam si duelli pugna fervet indicti :  
 226 jactantur hastae, ferreae tonant voces.  
 227 Subselliorum nutat et cathedrarum  
 228 percussa quercus. Mugit area tota  
 229 turmalis Echo. Sic probo nego verum est.  
 230 Falsum est. Probatur. Sensus antecedentis  
 231 probatur, hoc negatur. Ante concessit.  
 232 Non cogitavi. Densa pulveris nubes  
 233 consurgit evolantis a pavimento.  
 234 Credas frementem congregi Phrygem Turno.  
 235 Aut ad cruore stragibusque Nordlingae  
 236 fumantis arva, Martis arma convelli.  
 237 Postquam calore provehente conflictum,  
 238 sunt erudite fortiterque nugati :  
 239 dantur manus ; et uterque victor abscedunt.  
 240 Monstrantque doctas omnibus cicatrices,  
 241 et vultuosas complicantur in rugas,  
 242 ceu universa Graecia triumphata,  
 243 Turcis subactis, plena plaustra lunarum  
 244 post terga vectent, militesque captivos.  
 245 Sed et plateas per forumque monstrati  
 246 clamant aperta voce : sic honorantur,  
 247 quos vanitas regina vult honorare.  
 248 Quanto poeta dignius sub aestiva



249 bellatur orno : sive bella describat  
 250 Phlegraea, divis et Gigantibus nota ;  
 251 seu quae Philippos civibus cruentarunt ;  
 252 seu nostra, quae miratur ipse Gradivus :

POETA

253 se quando vinci non fatetur obscure.  
 254 Scazon : Pachynum Corsicamque saxosam  
 255 movere tentes. Ore multa consueto  
 256 suades et ampullaris, ut tubas inflem,  
 257 caedesque campis digeram superfusas ;  
 258 penitusque diris spiculis capillatos  
 259 intrem cometas finge velle : qui possim ?  
 260 Vigor juventae verna lustra consumpsit .  
 261 Aetatis aestas jam labantis inclinat.  
 262 Tepor calori substitutus obrepsit.  
 263 Macie timenda Manibus cavas dicor  
 264 pulsare tumbas. Ossa desinunt necti :  
 265 oraculorum quot ligavero torques,  
 266 solvendus ipse ! Tempus et Quies desunt,  
 267 locus et recessus. Littus ille proscindit  
 268 melitae catello, seminatque per tofos,  
 269 qui destitutus hisce praerogativis,

SCAZON

270 imbelle carmen et senile luctatur.  
 271 Ubi ergo nox est illa, seu dies nota !  
 272 Qua, cum citabas buccinae sono verba ;  
 273 mox agminatim, qua sequi jubebantur.  
 274 Tentoriorum de cubilibus mota,  
 275 sonora, magna, parva, pulchra, cristata,  
 276 cataphracta, maesta, laeta, crinibus torta,  
 277 venere dictae legis ad sacramentum :  
 278 ceu morte punienda, si retardassent.  
 279 Pars impedita subrubentibus soccis :  
 280 pars in cothurnis, pars equis, in hostiles

POETA

281 munita turmas lanceisque, peltisque.  
 282 Fuere Troes. Ilion stetit, Scazon :  
 283 fuisse crede, quem secutus es, vatem.  
 284 Ego te vocans ad calceum manu mitto,  
 285 et liberum pronuncio. Refer Musis  
 286 hoc involucrum litterarium. [Salve].